HONI · SOIT · QVI · MAL · Y · PENSE
Manners makyth Man

HONI · SOIT · QVI · MAL · Y · PENSE
Manners makyth Man

HISTORICA DESCRIPTIO

COMPLECTENS

VITAM, ac RES GESTAS

BEATISSIMI VIRI

Gulielmi Wicami

QUONDAM

VINTONIENSIS Epiſcopi, & ANGLIÆ Cancellarii, & FUNDATORIS duorum Collegiorum OXONIÆ & VINTONIÆ.



OXONIÆ,

E THEATRO SHELDONIANO, *An. Dom.* MDCXC.

ORTUS ET VITA
GULIELMI de WICHAM
OLIM
EPISCOPI WINTONIENSIS,
totius Angliæ Cancellarii
& Conditoris iſtius Collegii.

QUA capit Auſtrales Comitatu Hamptona Britannos
Wichamia *eſt Vicus, nec niſi parvus ager.*
Vixit Johannes *illic cognomine* Longus,
Cui fuit in caſti parte Sibylla *thori.*
Hanc habuit Patriam Gulielmus *& hoſce parentes*
Wichamus, *augurio nec tamen abſque bono.*
Namque loci ut nomen, ſic vim Matriſque Patriſque
Haud dubie in vitam tranſtulit ille ſuam;
Longus *enim ut longo duraret tempore, caute*
Et bene proſpiceret cuncta, Sibylla *dedit.*
Ergo ſub Edwardo *natus regnante ſecundo* 1324.
Tunc, ubi ter Sceptri Sexta cucurrit hyems.
Viginti primos Studiis & moribus annos
Wichamiæ (*Patris cura ea ſumma*) *dedit.*
Nec tamen hic omnes, nam partem temporis hujus
Venta & Edingdoni *Præſulis Aula tulit.*
Protinus Edwardi *tranſlatus tertii in Aulam* 1344.
Non fieri nullo cœpit & eſſe loco.
Namque bis octo annis recte & fæliciter actis,
Rem fidei plenam conſiliique ſubit.

Windesora *fuit Pagus celeberrimus, illic*
Rex ſtatuit Caſtri mœnia magna ſui.
1360. Wicamus *huic operi præponitur: inde probatum eſt*
Ingenio quantum polluit, arte, fide.
Ergo fit Edvardo *charus*, Cuſtoſque Sigilli
Non ita poſt multos incipit eſſe dies.
Nec tamen optati meta hæc fuit ultima honoris:
Crevit adhuc Regi charior uſque ſuo.
1366. *Uſque adeo ut Sexto ſit factus* Epiſcopus *anno,*
Juſſus Ventanâ *Paſcere in urbe gregem.*
Hic mihi vaniloqui minuenda eſt Fabula vulgi,
Fabula de tanto non bene ficta Viro.
Namque nec Eſtmœnam *petiit Fallaciter unquam,*
Sed tulit auratum Rege ſciente pedum.
Nec fuit indoctus doctos facturus, ut illum
Fama refert Regi verba dediſſe ſuo.
Conſule quæ in tanti geſſit molimine Regni,
Prudentem dices Palladiumque *virum.*
Conſule quæ in Sacri ſcribuntur calce Statuti
An faceret doctos addubitaſſe ſcies.
Adde quod Hiſtorici ſi pagina vera Froſarti *eſt,*
Rex interceſſor, Præſul ut eſſet, erat.
Miſſa igitur vulgi faciamus Verba prophani:
Quærat & exactam noſtra Thalia fidem.
Wicamus *ad ſummos evectus Præſul honores,*
Edvardo *inque dies charior, inque dies.*
Jam Patriæ lumen, jam Cancellarius *idem*
Summus erat, Regi Præſidiumque ſuo.
1376. *Tum ſubito (ſic magna ruunt, Summiſque negatum eſt*
Stare diu) ex tanto decidit ille gradu.
Namque per invidiam Regni delatus, ab illo
Pellitur, è Patria miſſus ut exul, humo.

Hoc

Hoc factum est, Regem potius stimulante Senatu,
Quam quod erat culpæ conscius ille malæ.
An tamen exierit Regno non convenit, & sunt
Qui pœnæ summam displicuisse putant.
Interea moritur Rex hic Edvardus, *& ejus*
Opportuna Nepos sceptra Richardus *habet.*
Hic jubet exilio revocetur Præsul ab isto;
Utque locum rursus, quem tulit ante, ferat.
Quinetiam sensus Cereales reddit, & annos
Tres minus, Exilii quod puto tempus erat.
His opibus dives, mentemque per omnia versans
Non male quo servet tam bene parta modo.
Sed quid agat virtute sua, quid Præsule dignum,
Quidve Deo, tantas cui referebat opes.
Post alia, Oxonii *quod longum duret in ævum* 1379.
Possit & à memori posteritate coli.
Constituit pulchros Studiis Phœboque Penates
Atque Sacram Musis ædificare domum.
Septima crevit hyems post Fundamenta locata; 1386.
Ingreditur Custos *& sua turba larem.*
Turba (*nec hic* Pueros, Famulosque, decemque Sacristas
Insero) *quæ capiat* terque quaterque decem.
His dedit & Fundum curatoresque paravit
Otia discentum qui bene semper alant.
Magna quidem sunt hæc, tamen hæc tam magna placere,
Lector, adhuc tanto non potuere viro.
Namque opere exacto hoc, vix proxima fluxerat æstas 1387.
Quin parat alterius tecta locare domus.
Quæ prope Ventanæ *bene cœpta Palatia Sedis*
Crevit, & in sexto vere parata stetit.
Ergo illic totidem *studiosos esse jubebat,* 1393.
Queis & Rectores pædonomosque dedit.

Qui

Qui ſimulac primos complerunt fortiter annos
Muſarum in ſtudiis Rhetoriceſque tropis,
Altius inque novas, ut ducta Colonia terras
Oxonii ſemper lecta juventus eunt.
Hæc Duo *Pieriis* Collegia *condita Myſtis*
Sunt in tutela, Divæ Maria, *tua.*
Idcirco Nova *dicta puto, quod nulla vetuſtas,*
Nulla dies morſus tendet in illa ſuos.
Hic potuit credi finem ſtatuiſſe ſtruendi
Wicamus, *& ſumptus jam tenuiſſe ſuos.*
Non tenuit: Divi nam quicquid in Æde Swithini
Nolari occiduam ſpectat ab arce plagam:
Concio qua Feſtis celebratur ſacra diebus,
Quaque ſuo in tumulo conditus ipſe jacet:
Totum hoc: tam vaſtam molem, tantaſque columnas,
Impenſis ſtruxit reſtituitque ſuis.
Regis opus dicet propius qui ſpectat, & idem
Vix Regum tantas eſſe putabit opes.
Forſitan & Gallis (nam ſic eſt fama) Monaſtis
Quos Rex è Regno juſſit abire ſuo,
Reddidit æquali pretio quæcunque recepit
Pariſiis *Fundos* Pariſiiſque *lares.*
Nec tamen hoc ſumptu minor eſſe domeſtica cœpit
Cura viro famulos pavit ut ante ſuos.
Pavit, & illius (teſtatur ſcripta Sepulchro
Littera) guſtavit dives inopſque cibos.
Hinc ita viventi cum jam longæva ſenectus
Corporis effecti debilitaſſet onus,
1404. *Grata quies venit, vitæ non diſcolor actæ*
Ultima curarum linea, grata quies.
Annus erat vitæ decies octavus, *& illis*
Henrici quarti *Sceptra diebus erant.*

Jam

Jam teſtamentum quæris ſi fecerit ullum?
Fecit: Sed fuerit quod daret ille? fuit.
Quid fuerit factis reliquum tot ſumptibus: ohe!
Inveniet nullam Pagina noſtra fidem.
Et tamen hoc dicam, Regales vincere gazas
Quæ dedit in ſcriptis, ultima dona, ſuis
Extat opus Crœſumque putes ſcripſiſſe, vel illum
Cujus facta hæres Roma ſuperba fuit.
Vel cujus digitis mutatum fertur in aurum
Quicquid in aurifluas contigit ire manus.
Nec tamen ignavos bona tanta reliquit in uſus:
Succeſſuſque bonus, propoſitumque fuit.
Namque Diœceſin ditavit Templa *per omnem:*
Multaque cognatis, pauperibuſque dedit.
Multa quoque & Regi, nec fidis pauca miniſtris,
Sed neque Gymnaſiis munera pauca ſuis.
Hæc ſunt ergo viri monumenta perennia tanti,
Cujus dum vixit gloria tanta fuit.
Nec dubito qui ſic vixit, ſic mortuus idem eſt,
Quin ſit apud ſuperos Nobilis umbra Deos.
Sitque precor: nam ſi cœleſtis clauditur aula
Tot meritis, nobis illa patere poteſt?
Hactenus ire libet, Tu major laudibus iſtis
Suſcipe conatus Wicame Dive *meos.*

Liber

LIB. I. CAP. I.

De ortu atque ſede natali GULIELMI WICKAMI; *ſimul & illa vetus queſtio, ac multum controverſa, de genuino ac gentili ejus Nomine, in gratiam* Wickamenſium *Alumnorum fuſius explicatur.*

GULIELMUS WICKAM non tam illuſtri quam honeſta ſtirpe, in Pago ſui nominis Comitatus *Suthantonenſis*, benigno numine natus eſt, anno inſtauratæ Salutis, MCCCXXIV. & anno regni Regis *Edwardi* II. XVIII. Parentes habuit *Iohannem* & *Sybillam.* Nam de Prænominibus eorum ſatis inter omnes conſtat, quodnam autem illi à patre proprium, & verum gentis, aut familiæ nomen fuerit, ſcriptores magna ſunt in varietate ac diſſenſione conſtituti. Alii enim *Perottum*, alii *Wickamum*, alii *Longum* appellarunt. Ac certe ſunt qui ut prænomen illi *Gulielmum* tribuunt, ſic nomen *Perottum*, cognomen *Wickamum*, agnomen *Longum* adſcribunt; primum à nuncupatoribus luſtricis, ſecundum à patre, tertium à loco natali, quartum à proceritate inditum arbitrati, quaſi non à ſtirpe & familia,

Ex archivis Collegii *Winton. Tho. Chandelerus* in vita *Wickami.* *Tho. Vaſſeus* in vita ejuſdem. Ex libro *Statut. Novi Collegii Oxon.* in Rubr. ca 45.

Jo. Lelandus. Tho. Smithus. Nic. Harpisfil. Tho. Talus. Talbottus. Harris præbendarius *Vindeſor.* & eum ſecutus *Ioh. Stowus* in Annal. *Angliæ.*

familia, ſed à ſtatura & longitudine nomen *Longi* (quod vernacula lingua *Long* dicimus) fuiſſet aſſecutus. Et *Iohannes* quidem *Lelandus*, vetuſtatis indagator acutiſſimus, eum diſertis verbis *Perottum* vocat. *Thomas* vero *Smithus*, tam Equeſtri ordine, quam varia literarum ſcientia nobilis, eum *Perottum* aliter *Wickamum* apellat.

Lelandus in itinerario.

Thomas Smithus Miles in commentariis *Vindeſoriæ.*

Thomas Yalus in hiſtoria noſtrate, & Juris utriuſque prudentia excellens, ac *Robertus Talbottus* antiquitatis indagendæ ſtudioſiſſimus, in ea ſunt ſententia ut eum exiſtiment à patre *Longum* dici oportuiſſe. Catalogus vero Gallice ſcriptus Cancellariorum *Angliæ*, *Gulielmum de Wickam*, aliter *Perottum*, aliter *Longum*, nominat. At *Nicholaus Harpisfieldus*, omni literarum genere ornatus, ſemper eum germano generis ſui nomine uſum, hoc eſt ex majoribus *Wickamum* vocatum eſſe, multis argumentis contendit in hæc verba.

Tho. Yale in vitis Epiſcoporum *Angliæ.*

Catalogus Cancellariorum *Angliæ* Gallice ſcriptus.

Nic. Harpisfield in eccleſiaſtica hiſtoria *Anglorum.*

Gulielmus Wickam *natus anno* MCCCXXIV. *in dioceſi* Winton. Johanne Long *ut quidam, ut alii* Johanne Perotto, *&* Sibilla *parentibus, pago* Wickam, *unde quidam* Gulielmum *de* Wickam *eum appellarunt. Sed mihi multa occurrunt cur non Eam in eorum ſententiam, utque genuinum, atque gentile fuiſſe illi* Wickami *nomen exiſtimem. Ita enim ſe in Teſtamento, ita in iis Statutis quæ Collegiis ſuis præſcripſit, & alibi paſſim appellat, id eſt* Gulielmum Wickam, *non de* Wickam. *Ita n. diplomata Regia quibus Collegii ædificandi poteſtas tributa, ita & publica regni Statuta eum nominant. Primus præterea* Oxon. *collegii præfectus fuit* Nich. Wic. *ejus conſanguineus. Optati ſunt præterea in idem Collegium*

Collegium Jo. Richar. & Tho. Wick. *ut ejus neceſſarii, quibus ea ſtatutorum præſcriptione potior quædam, quam aliis qui in Collegium cooptantur, conditio & prærogativa defertur. Imperante vero* Jo. *fuit* Radul. Wickam *homo equeſtris ordinis, ex quorum ſtirpe, familia, & gente prodiit noſter* Wickamus, *etſi* (*ut ſunt rerum viciſſitudines*) *parentes ipſius exiguis erant rerum copiis præditi.*

Sed ab *Harpisfil.* & cæteris diſſidet ac diſcedit vir nec ignobilis & (ut a majoribus accepimus) admodum dignus cui fides habeatur, *Rob. Hereſius.* Is intra annos duodeviginti ab obitu *Wick.* Collegio *Vint.* Codicem ſtatutorum (qui fuerat ipſius *Wick.* fundatoris) dono dedit. Ad hunc Codicem erat libellus, de proſapia, vita, & rebus geſtis *Wickami* annexus, in quo hæc verba reperiuntur.

Hereſius Anglice Heers ex cohorte ipſius *Wicami* pontificis, in epitome libelli de proſapia, vita & rebus geſtis *Wicami.*

Fuit Wilhel. Wickam *Chriſtianæ profeſſionis hæres, apud oppidum de* Wickam *in Comitatu* Suthampton. *Fœlici momento enixus, & ſic a loco nomen aſſumpſit, & nomen cum loco eulogio perpetuo decoravit.*

Ex antiquo Regiſtro collegii *Winton.*

Illud igitur cognomen, quo uſus eſt, a loco ſedeque natali invenit, ut *Hereſio* placet. Ex patre autem hæreditarium quodnam habuerit nomen, ſi eo uti libuiſſet, ex ea ipſius genealogia, (quam idem *Hereſius* proponit) facile intelligi poteſt. Scribit enim hunc in modum.

Genealogia Wicami per Speciales descripta.

Wilhelmus de Stratton.

Amicia Filia Dom. de Stratton juxta Selborne.

Wilhelmus Bowde

Alicia.

Johannes Longe.

Sibilla Bowde.

Wilhelmus de Wickham Episcopus Winton.

Wilhelmus Champnes.

Agnes Soror Wilhelmi de Wickham Episcopi.

Wilhelmus Perott.

Alicia uxor ejus.

Wilhelmus.

Johannes.

Thomas vocatus Wickham miles.

Filia Wilhelmi Wilkins

Wilhelmus Wickham.

Filia & hæres vnic nupta Fynes.

Wilhelmus Stratton *procreavit de* Amitia Strat. *filia Dom. de* Strat. *juxta* Selborn *quatuor filios*, Rich. Steph. Rob. & Johan. *qui obierunt ſine Liberis; ac etiam tres filias*, Aliciam, Julianam, & Eleonor. Aliciam *duxit* Will. Bowde *in Uxorem, de qua habuit filiam nomine* Sibillam, *quam* Joh. Long *duxit in uxorem, ex qua procreavit filium nomine* Wil. *Epiſcopum* Winton. *& filiam nomine* Agnetem, *quæ* Agnes *habuit filiam nomine* Aliciam, *quam* Wilhel. Perott *duxit in Uxorem, ex qua procreavit tres filios* Wilh. Joh. & Tho. *qui* Tho. *vocabatur* Wickam *miles, & duxit in Uxorem filiam* Wilh. Wilkenis *armigeri, de qua procreavit filios & filias.*

Genealogia *Wicami* per *Hereſium.*

Hactenus *Hereſius*, cujus adſtipulatores hac in deſcriptione ſunt feciales Regii, qui hanc quam oculis ſubjicimus tabulam approbarunt. Ex qua conſtat *Wicamum* Epiſcopum ex *Perotti* ſtirpe nequaquam ortum eſſe, ſed *Perotti* nomen quadraginta plus minus annos poſt natum *Wickamum* in cognationem, ac genus ipſius inſitum fuiſſe, & adoptatum, ac tunc primum gentilitia *Perotti*, & *Wicami* inſignia conjungi cœpiſſe. Extat quidem *Oxoniæ*, in Archivo celeberrimi Collegii (quod omnium animarum vocant) Chirographum vetuſtiſſimum, Sigillo *Thomæ Wicam* (qui cognatus *Wicami* Epiſcopi fuit) conſignatum, in quo *Perotti* & *Wicami*, inſignia intermixta & conjuncte impreſſa cernuntur cum inſcriptione hujuſmodi. *Sigillum* Thomæ Wickami *militis.* At vero *Wicami* Epiſcopi Inſignia ſola per ſe erant longe ante cognita.

Dicti *Thomæ* Sigilli inſigne appingendum. Inſigne *Wickami* Epiſcopi affigendum.

Errat igitur Lelandus, & alii qui hunc *Wicamum* volunt *Perotti* filium fuiſſe. Hallucinandi ve

anſam fortaſſe præbuit, quod eo tempore fuerit quidam *Wilhelmus Wickamus Perotti* filius, nec vulgo ſolum ita vocitatus, ſed etiam literarum monumentis, & actis forenſibus eadem prorſus appellatione deſignatus: verum illa ipſa forenſia ſcripta hac in re omnem obſcuritatem, ac dubitationem tollunt. Aperte enim convincunt alium fuiſſe *Gulielmum Wicamum* Epiſcopum *Winton.* alium *Guliel. Wicamum Perotti* filium; & hunc quidem actorem in lite quadam, illum vero reum fuiſſe. Hoc perſpicuum fit ex antiquo quodam inſtrumento tam Vindeſoriæ quam *Weſtmonaſterii* reperto, cujus hæc ſunt verba.

Lis quædam in communi banco *Weſtmonaſt.* inter *Guliel. Wicamum* Epiſc. *Winton* & *Gul. Wic. Gul. Perotti* filium.

Hæc eſt finalis concordia facta in Curia domini Regis, &c. *in octabis Sanctæ Trinitatis anno Regni* Richardi *Regis viceſimo, coram* Wilhelmo Therminge *&c. inter* Wilhelmum Wickham *filium* Wilhelmi Perott, *&* Aliciam *uxorem ejus querentes, &* Wilhelmum *de* Wickham *Epiſcopum* Winton. *Magiſtrum* Nicholaum *de* Wickam *Clericum, &* Johannem Campeden *Clericum deforciat, de Manerio de* Ottarburne, *&c.* Et in fine conventionis ejuſdem hæc verba ſubjiciuntur. *Et ſi contingat quod idem* Wilhelmus Wick. *filius* Wilhelmi Perott *obierit ſine hærede maſculo, de corpore ſuo procreato, tunc poſt deceſſum ipſorum* Wilhelmi, *&* Aliciæ *uxoris ejus, prædicta Manerium, & Tenementa cum pertinentiis integre remanebunt* Thomæ Wickam *fratri ejuſdem* Wil. Wickam *filii* Wilh. Perott, *& Hæredibus maſculis de corpore ſuo procreatis.*

Ex finalibus Recordis in communi banco, de termino *Trinit. An.* 20. Re. Regis *Rich.* ſecundi.

Eadem finalis concordia extat in Archivis de *Windeſor. Hollingſ.* pag. 526. Col. 2. lib. 6. *Perot.* appellat *the Parish Cleark of* Wickam Angl. *a Parish Clearke.*

Veruntamen illi inveterato Lelandi, & aliorum errori *Hollingshedus* in Hiſtoria novum mendacium (quod illi non novum) adjiciens, *Perottum* hunc, quem

quem *Wicam* Epiſcopi patrem fuiſſe tradit, in humili, & abjecto Eccleſiæ *Wicamenſis* famulatu vixiſſe affirmat; quod ſane ita falſum eſt, ut ne ſimilitudinem quidem ullam veri præ ſe ferat. Nam & in ſuperioribus cognationis & gentilitatis *Wicami* gradibus nulla fit *Perotti* mentio, & *Perottus* ille qui ſeſe cum eo jam quadraginta fere annos nato affinitate, ac neceſſitudine primus ex *Perottis* omnibus conjunxit, erat ex egregia ortus Armigerorum familia. Nec vero iſte unquam agrum *Wicamicum*, neque alius ex *Perottorum* familia quiſquam poſſederat, aut incoluerat. *Udallorum* enim erat poſſeſſio quam etiam in hunc uſque diem hæreditario jure tenent; Iam quod *Harpisfildus Wicamo* Epiſcopo genuinum, & gentile fuiſſe nomen exiſtimat, videndum, ne non ita ſit. Quid enim, ſi in teſtamento ſuo, ſi in Regiis literis, ſi in ſtatutis tum Regni tum Collegii ita appelletur? An idcirco hoc illi gentile, & hæreditarium erat nomen? ſi *Publius Scipio* ſe in tabulis Teſtamenti *Africanum* appellaſſet, idcircone id ex *Africæ* nomine cognomen habuiſſe hæreditarium diceretur? At non vocatur *Gulielmus* de *Wicam*, ut ex loco nomen ſibi aſſumpſiſſe videatur, ſed *Gulielmus Wicam*, avitum ſcilicet generis ſui nomen retinens. Itane vero? inſpiciantur diplomata Regia. Certe ſive Illuſtriſſima tempora Regis *Edwardi* tertii, ſive infœliciſſima *Richardi* ſecundi, & aliquot annos *Henrici* quarti percurras, in tot decurſu annorum ſi decies nomen *Wicam*, millies nomen, de *Wickam*, occurrit. Quid Statuta Regni? quid Statuta Collegii? an aliud præ ſe ferunt? Immo in illis *Wicam* ſemel duntaxat, in his, de *Wickam*, paſſim legitur. Quid quod feneſtræ

Conſulendi feciales.

Perotti Armigeri inſignia in Comit. *Hamp.* hic appingenda

Perottus nunquam incoluerat pagum *Wicam* ſed *Uvedallus*.

neſtræ vitreæ templorum ſive (ut vocant) Capellarum utriuſque Collegii *Wicamici* nuſquam inſcriptionem nominis *Gulielmi Wicami,* ſed paſſim, idque plus quam tricies *Gulielmi* de *Wickam* ab ipſis Collegiorum primordiis oſtendunt.

Verum fac eum appellatum eſſe *Wilhelmum Wickam* potius quam de *Wickam,* præfecto nihil impedit quo minus ex *Wicamiæ* nomine ſic nuncupatus ſit. Nam olim permulti, ut ex loco originis nomina ſortiebantur, ita vulgo promiſcue hoc vel illo loquendi modo vocari ſolebant: plena exemplorum eſt vetuſtas, quibus hæc confirmari poſſint. Nam tum religioſi, *Johannes Lydgate,* Fani Sancti *Edmundi* Monachus, *Johannes Wheathamſted* Sancti *Albani* Abbas: tum Epiſcopi, ut *Gulielmus Wainfletus* Vintoniæ, *Thomas Buckingamus Lincolniæ:* tum Archiepiſcopi, ut duo Simones, Langamus, & Sudbureus *Cantuariæ*: tum etiam Reges, ut *Edwardus* hoc nomine ſecundus de *Carnarvam, Henricus* quintus de *Munworth, Henricus* ſextus de *Windeſor*, & alii nomina a loco unde erant oriundi aſſumpſerunt, & ita aſſumpſerunt, ut in iis enuntiandis præpoſitio de vel adhiberi, vel omitti, vel utraque loquendi formula promiſcue uſurpari poſſet. Neque enim quicquam diſcriminis inter utramque formulam ponendum eſſe arbitror, niſi quod altera ſit latinis auribus gratior. Nam ſi rem ipſam ſpectes, quid intereſt utrum *Henricus* ille ſextus *Windeſorius* dicatur, an de *Windeſor, Johannes Gandavus,* an de *Gandavo,* Dominus de *Burgleio,* an *Burgleius?*

Immo qui non putantur ex loco natali nomen traxiſſe neque Barones fuerunt, olim tamen interdum illo

illo apud Latinos insolentiore modo appellati sunt, & is quidem quem *Harpisfildus* primum Collegii *Wicamici Oxonii* Præfectum fuisse scribit, & nomine *Nicholai Wickam* nuncupat, seipsum in omnibus locationum formulis, & instrumentis, quæ villicis de Collegii prædiis tradidit, *Nicholaum* de *Wickam* inscripsit. Ex quibus perspici existimo argumentum illud ab inscriptione nominis dictum, non satis habere firmamenti ac virium, ad id quod propositum erat convincendum. Quod secundo loco adfertur, *Johannem*, *Richardum*, & *Thomam Wickam*, ascitos fuisse in Collegium ut necessarios Fundatoris, equidem non diffiteor, *Richardum* in Collegium ascitum fuisse, sed ut necessarium pernego, & ad Archivalia monumenta Collegii provoco. Quod vero ad *Johannem*, & *Thomam* attinet, adde etiam, si placet *Wilhelm. Wickam*, jure quidem ac merito ut consanguinei in Collegium cooptati & ascripti sunt, quum omnes ex *Alicia* fundatoris cognata, *Gulielmo Perotto* nupta, prognati essent. Neque enim in istis à nomine consanguinitas, sed à consanguinitate nomen ortum traxit, neque natura *Wicami* nomen sed adoptio intulit. Itaque quum noster *Wicamus* possessiones, & latifundia sibi & hæredibus lege constabiliri curaret, si ab iis tribus *Wicamis* discesseris, per nomen *Wickam* consanguineum designavit neminem; & quamvis hisce tribus nomen *Wicami* tribuerit, tamen plerumque, ut internosci possent ab aliis *Wicamis* quos pro cognatis suis) non agnosceret, adjiciendum putavit Filius *Wilhelmi* & *Aliciæ Perott*. Cumque cuidam *Thomæ Wickam* de *Swacklife* Vicaria mdaret potestatem, ut in possessionem Ma-

Nicholaus de *Wick.* nominatus in omnibus prædiorum Indenturis quæ Custos Collegii Villicis locavit.

In antiquo regist. Coll. *Oxon.* fol. 133.

Jurisconsulti nostrates feuda simplicia, & talliata vocant.

In monumentis vetustissimis *Richardi* Fines militis.

Maneria de *Broughton* & *Newton* olim *Wicami* Epiſcopi, nunc ſedes D. Fines militis.

neriorum de *Broughton*, & *Newnton* (quæ nobilis viri *Richardi* Fines primarias nunc ſedes eſſe audio) ſuo, & poſt obitum ſuum *Thomæ Wickam* militis (*Perotti* & *Aliciæ* filii) nomine ingrederetur, alterum (quaſi de induſtria & diſtinguendi cauſa) *Wicham* duntaxat nominavit.

Non hæc eo dico, quod *Wicamo* eam generis claritatem invideam, quam ei *Harpisfildus*, jam inde ab *Johannis* Regis temporibus ex antiqua illa & nobili *Wicamorum* familia ductam tribuit, ſed quod ejus rei ſatis idonea probatio deficiat, quam quidem ſi afferret, lubens ei ſubſcriberem, tamque antiquam nobilitatem, etſi *Wicamus* noſter ſatis ex ſe ſit multitudine rerum geſtarum nobilitatus, tamen non aſpernarem; ſed & contrarium ſuadent alia multa, & diſcrimen inſignium quæ iſti diſſimiliter gerunt, ſecundum leges feciales diſcrimen agnitionum, & familiarum indicat: Nec vero quiſquam mirari debet, quod *Wicamus* Epiſcopus ſororis ſuæ Nepotem, quem ſibi hæredem eſſe voluit, in nomen *Wickam* adoptavit.

Hic diverſa inſignia *Wicamorum* depingenda.

Plutarchus in vitis Imperatorum. *Pero* mexia in hiſtoria imperial.

Quemadmodum enim novum non eſt ut quis relicto proprio nomine & gentili, aſcititium & extraneum ſibi aſſumat, ita non eſt inauditum, aut abſurdum, ut illud nomen ad filios, ac nepotes adoptivos tranſmittat. Clariſſimis hac de re monumentis teſtata, conſignataque antiquitas, & Ceſarea imprimis Romanorum hiſtoria plurima nobis exempla ſuppeditat. *C. Octavius Ceſaris* cognomen, quod non à patre ſuo acceperat, ſed ex adoptione ſibi acquiſierat, iis quos ſibi adoptionis jure devinxit, tribuere non dubitavit; *Tiberium* enim & *Germanicum*,

Suetonius Tranquillus. Ludovicus vives in ita *Octavii Ceſaris. Juſtinianus* in inſtitutionibus de adoptionibus § illud proprium.

cum, Ceſares appellari voluit. Sed quid trans mare curritur, cum domeſticis exemplis abundemus. *Thomas Rotheram*, qui ob ſingularem virtutis & eruditionis laudem, & Cuſtos privati Sigilli, ſub *Edwardo* quarto, & Epiſcopus primum *Roffenſis*, deinde *Lincolnienſis*, & tandem Archiepiſcopus *Eboracenſis*, atque adeo ſummus Cancellarius *Angliæ*, ſub tribus Regibus fuit, quum ſui generis initium ab ſe gigni, & propagari vellet, ideoque in familiam & nomen quendam generoſum *Bedfordienſis* Comitatus incolam Sobrinum ſuum adoptaret; Quid? an *Scoti* eum nomine (quod erat illi gentile, & proprium) appellavit? Minime certe, immo vero *Wicamum* per omnia ſecutus, cognomine *Rotheram* (unde erat oriundus) inſignivit; ex qua quidem familia multos armigeros, multos Equeſtris ordinis viros prodiiſſe conſtat. Quid commemorem *Potterum* Civem *Londinenſem* regnante *Henrico* tertio locupletiſſimum, qui a *Canditio Sudovolciæ* oppido nomen ſumens, quum filiam, quam habebat unicam, & hæredem, clariſſimi viri *Raphaelis Gernonis* gnato natu minimo collocaſſet, liberos ex illis natos non *Gernonis*, non *Potteri*, ſed *Canditii* comine compellari voluit, idemque nomen ad hæc uſque tempora perpetua & continuata ſerie tranſmiſit. Poſſem alia hujuſmodi permulta proferre, ſed ne multus & inſolens ſim, ea prætermitto. Ne fit igitur incredibile ad eos qui in locum filiorum aut nepotum adoptati ſunt, una cum hæreditatis commodo cognomen etiam adventitium tranſire. Verum cum ut olim inter *Athenienſes*, *Colophonios*, *Salaminios*, & alios neſcio quos de patria & ſtirpe *Homeri* magna erat contentio, ſic nunc

Tho. Yale in Catalogo Archiep. *Eboracenſium* in vita ejuſdem, & in Archivo Coll. *Lincoln. Oxoniæ*, & in monumentis Regiis An. 22. R. *Ed.* 4. *Tho. Rotheram* ter Cancellarius *Angliæ*. 1. ſub. *Ed.* 4. 2. in initio Reg. *Ed.* 5. 3 in initio R. *H.* 7. ut in Record. turris *London* & Catalogo Cancell. *Angliæ* gallice ſcripto.

In monumentis Regiis Anno. 22. R. *Ed.* 4. in rotulo.

Lelandus in itinerario fol. 39. Ex Archivis Civitatis *London.* in pretorio quod *Gildæ Aulam* vocant.

Cicero pro Archia poeta

de genere & cognatione hujus præſtantiſſimi viri multæ certent familiæ, & inter ſe tantum non digladientur, operæ pretium eſt non modo quam infirma ſint quæ ab *Harpisfildo*, & aliis, hac de re afferuntur, conſiderare, ſed etiam quid contra vel neceſſario, vel probabiliter, dici poſſit diligentius perpendere. Quid igitur de ea genealogia exiſtimabimus quam ſupra poſuimus ante oculos? Si ea vera & firma ſit, parumne videtur id quod de *Perotti* nomine traditur infirmare? Parumne videtur quod de antiqua *Wicamorum* familia affertur diluere? Immo vero, parumne videtur eorum ſententiam confirmare, qui hunc noſtrum *Wicamum* aiunt, ſi patris cognomine uti voluiſſet, *Longum* vocari debuiſſe? At ejus ipſius genealogiæ in dubium vocatur authoritas. Verum jure feciali confirmatur, verum bona fide ſcriptoris antiqui ſtabilitur, verum argumentis & conjecturis non levibus adjuvatur.

De reliquis non ambigitur, de hoc ultimo videamus. Certe *Aliciam Perotti* uxorem, cujus Avunculus in illa genealogia *Wicamus* noſter ſtatuitur, oſtendunt acta forenſia proximam ejus hæredem fuiſſe. Cum enim Collegium *Wintonienſe* de poſſeſſione Manerii *Elingami* prope *Southamptoniam*, quinquennio poſt obitum fundatoris deturbaretur, cuſtoſque & ſcholares cum *Alicia* ejus cognata tunc vidua, quam in nonnullis bonis jure inſtitutionis, in omnibus jure ſanguinis hæredem fuiſſe fundatori conſtabat, ad præſtandum periculum judicii, lege agerent; ea, & hæredes fundatoris de evictione teneri, & ſe proximam illi hæredem eſſe nullo negotio faſſa eſt.

Vide Recordum in communi banco de an. II. *H.* 4. termino *Hillarii*.

Eandem etiam ſententiam contra *Lelandum* & *Harpiſ-*

Harpisfildum corroborat ſcripti alius antiqui authoritas. Extat enim codex pervetuſtus in Archivis Collegii *Wintonienſis*, ſumma religione ac fide aſſervatus, in quo cognatio fundatoris tum ex patruo, tum ex amita deſcendens, latius deſcripta reperitur his verbis.

Alicia *quæ fuit ſoror* Johannis Longe *patris domini* Will. Wickham *Epiſcopi* Winton. *Fundatoris iſtius Collegii, deſponſata fuit* Johanni Archmore, *ex quibus proceſſerunt* 13 *Filiæ, quarum altera vocabatur* Matilda, *ex qua proceſſit* Joanna, *deſponſata* Johanni Bolney *in Comitatu* Suſſex, *&c. Item ſecundum alios* Johannes Longe *pater fundatoris, habuit fratrem nomine* Henricum Aas, *qui* Henricus Aas *habuit tres filios*, Wilhelmum, Richardum *&* Radulphum; Radulphus *habuit filium nomine* Wilhelmum, *& tres filias, Feliciam, Abatiſſam de* Rumſey, *&c.* In vetuſtiſſimo Regiſtro Coll *Winton*

Hæc deſcriptio ex eo confirmatur quod anno decimo quarto à morte fundatoris *Bartholomeus Bolney* & *Johannes Aas* in numerum ſcholarium Collegii *Winton.* aſcripti, & poſtea anno Chriſti 1421. perpetua (ut vocant) ſocietate Collegii alterius quod eſt *Oxoniæ*, ex ſingulari conſanguinitatis prærogativa donati ſunt, quorum alter ex Amita fundatoris, alter ex ejus patruo genus ducere judicabatur. Quid? an vel iſti tam paucis poſt fundatoris obitum annis in ejus cognationem dolo malo irrepere, ac recentem utriuſque Collegii memoriam vafre & veteratorie ficta & commentitia fabula circumvenire potuerunt? vel ſcriptor ille antiquus falſa pro veris in commentarios Collegii referre auſus eſſet; nec legem Corne-

Uterque eorum admiſſus in Coll. vocatur conſanguineus fundatoris in antiquo Regiſtro. Coll. Ox. fol. 21.

liam metuiſſet? Jam vero quemadmodum illa *Bolnei*, & *Aaſæ* cooptatio & admiſſio in utrumque collegium ex privilegio cognationi fundatoris tributo adhibita, oſtendit illos fuiſſe ejus cognatos, ita *Wicamorum* vulgaris cooptatio, & privilegii expers, illos ab ejus non modo agnatione, ſed etiam conſanguinitate excluſos eſſe arguit, quod quidem probabiliter conſequi *Harpisfildus* ſine dubio ſatis intelligebat.

Itaque eos prærogativa, & potiore illa conditione cognationi fundatoris conceſſa uſos eſſe, nimis temere, nimiſque fidenter affirmat. Eſt enim certiſſimum *Johannem Wicamum* de *Swakelſe* (quem conſtat ex antiqua ſtirpe equeſtri procreatum fuiſſe, & *Richardum Wicamum* de Comitatu *Hamſhire* (quos *Harpisfildus* in præſidiis ſuis collocat, ut fundatorem ex egregia *Wicamorum* familia ortum eſſe vincat) non jure ſingulari & privilegio, ſed more uſitato & ordinario, non ſtatim ut conſanguineos fundatoris, ſed duobus probationis annis jam expletis ut extraneos in numerum ſociorum Collegii eſſe aſcriptos. Ac *Johannes* quidem *Wicamus* proximo poſt mortem fundatoris anno ad probationis Annos admiſſus eſt, videtur itaque & credibile eſt iſtos *Wicamos* fundatori non fuiſſe ſanguine conjunctos, & probabile vel ex hoc unico argumento, fundatorem ex illa antiqua *Wicamorum* ſtirpe & familia generatum non eſſe. At vero non hoc ſolum, ſed unde etiam ortus ſit, & quos habuerit conſanguineos, plenius & cumulatius demonſtrant deſcriptiones cognationis ejus, quas ex antiquitate veneranda deprompſimus, ceteriſque rationibus & argumentis confirmavimus; magis autem magiſque hinc confirmantur, & ad hanc controverſiam

Johannes Wickam de *Swakelife*, *Richar. Wickam* Comit. *Southamton.*

Vide antiquum Regiſtrum Coll. *Oxon.* fol. 137. & fol. 110. In eodem Regiſtro fol. 118.

ſiam dirimendam ſatis firmæ videntur, quod ipſe fundator (qui optime norat affinitatis & propinquitatis vinculo ſibi conjunctos) in teſtamento manu ſua obſignato non *Nicholaum Wickam*, non *Helenam Nicolai* ſororem, non utrumque *Johannem Wickam* inter conſanguineos adnumerat, (quibus tamen ampla legata reliquit) ſed *Tho. Wickam* militem, *Guliel mi Perotti* filium, *Aliciam Perott* ejuſdem *Thomæ* Matrem, nec non *Editham Ringborne*, *Feliciam Aas*, *Johannem Maviel*, & *Warneros*, hos inquam ſolos conſanguineos appellat. At his omnibus genus eſt vel a ſorore, vel a patruo, vel ab amita fundatoris, ut apparet ex utraque genealogia ſuperius allata. Ut igitur verbo concludam, hoc meum judicium non præjudicium eſto, gentilium fundatori nomen non *Perott* non *Wickam*, ſed *Longe* fuiſſe: quod & genealogia fere ducentenariæ vetuſtatis oſtendit, & Archiva quaſi ab incunabulis utriuſque Collegii commonſtrant, & authoritas duorum ſecialium Regiorum approbat, & Judicialis confeſſio conſanguineorum in contradictorio judicio expreſſa corroborat, & recepta Collegiarcharum opinio cum perpetuo rerum uſu conjuncta communit, & inſcriptio conſanguineorum ab ipſo fundatore in ſupremis tabulis facta confirmat.

Ipſe Epiſcopus *Guliel. Wickam*, *Nickola Wickam*, & alios ejus nominis in teſtamento nominatos excepto *Tho. Wick.* conſobrino ſuo, non numerat inter conſanguineos.

En conſanguineos à fundatore nominatos in teſtamento ſecundum genealogiam ſupra recitatam, Epilogus.

LIB. I.

LIB. I. CAP. 2.

De educatione, ac diſciplina Wicami *prima ætate* Vintoniæ; *deinde de ejus inſtitutione, & convictu cum hominibus doctiſſimis, & probatiſſimis in Academia* Oxonienſi, *ac de migratione ejuſdem ab Academia ad* Uvedallum *Mœcenatem ſuum, deinde ab* Uvedallo *ad* Edingtonum, Vintoniæ *Antiſtitem, & ab* Edingtono *ad Regem* Edvardum *ejus nominis tertium, & de propenſa Regis in eum voluntate, & munificentia, & quomodo inſignem apud tam ſagacem principem gratiam primum inierit.*

Hereſius in dicta Epitome.

SEd de genere, & ſtirpe, & cognomine *Wicami* hactenus. Nunc à parentibus ad ipſum filium revertamur. De eo vero is qui acta, & res geſtas ejus non fama, & auditione, ſed animadverſione, & aſpectu perceptas contexuit, ſic poſteritati ſcriptum tranſmiſit; tam inſignem in eo etiamnum puero pietatem, & ſanctimoniam eluxiſſe, ut quod de *Johanne* præcurſore vulgo dictum eſt, idem homines integri & religioſi de iſto *Gulielmo* prædicerent: Quis putas puer iſte erit? Magnas temporibus illis partes ſuſtinebat *Vintoniæ* vir, & nobilitate Equeſtris ordinis, & authoritate vinceſtrencis caſtri Coneſtabilius, *Nicholaus Uvedallus.*

Luce prima. Tres ex ea ætate Coneſtabilii præ cæteris honorati *Ceſtrenſis, Vinceſtrenſis,* & *Dovernenſis.*

Is pro ea qua in hujus pueri parentes benevolentia propendebat, non ſolum illis in agro Vicamico (cujus ipſe erat dominus) predium conceſſerat in ἐμφύτευσιν, verum etiam *Gulielmum* eorum filium *Vintoniæ*

Ex pervetuſto codice *Uvedallorum.*

Id eſt perpetuo fruendum pro certa penſione.

toniæ una cum ſuis, & aliorum nobilium liberis ſub quodam Gallo, viro doctiſſimo, grammaticis imbuendum curavit. Ille vero non his acquieſcens hic etiam geometriæ elementa, & gallicam linguam didicit, & Arithmeticam, atque dialecticam animo ſitienti imbibit. Quamvis autem ejus commilitones ſumma ſpe & animi, & ingenii eſſent præditi, tamen in laudibus iis præcurrebat omnes, ita ut cordatiores viri etiam tunc ad magna eum natum eſſe judicarent.

Liberalis educatio inſtitutioque *Wicami* ex monumentis *Wolveſei* Caſtelli per *Rogerum Hord.* quondam cuſtodem eorundem *Oſtenſis.*

Hæc ſtudia *Chaundelerus* theologus, & *Hereſius* ſeculares literas & ſecularem prudentiam vocant.

His autem artibus quibus ætas puerilis ad humanitatem informari ſolet inſtructus, ad *Oxonienſem* Academiam, doctiſſimis hominibus ac liberaliſſimis ſtudiis affluentem, adoleſcens excolendi ingenii gratia ſe contulit, ibique in Mathematicis *Ludovicum Carletanum*, in juris Ceſarei prudentia *Wilhelmum Doracheum*, viros perfecte doctos, audivit. Quæ quidem ſtudia poſtea tam ad Architectonicæ laudem ſub *Edwardo* Rege conſequendam, quam ad Cancellariatus munus ſub duobus Regibus cum dignitate obeundum, maximo illi adjumento fuiſſe conſtat.

Rogerus Hordns.

Quod autem ad politiorem latinæ linguæ elegantiam attinet, certe in ea ſtudium, & operam, horis ſubſecivis poluit. Nec theologiæ, aut Eccleſiaſticæ Juriſperitiæ expertem eum fuiſſe crediderim, quum in eo libro quem ad Monachos ſuæ Eccleſiæ reformandos, & à licentiore vivendi genere ad veteris diſciplinæ ſeveritatem revocandos ſcripſit, tam præceptiones nonnullas ex ipſis ſacrarum literarum fontibus hauſtas, quam edicta quædam ſalutaria ex præcipuis patrum decretis (quæ melior pars eſt juris pontificii) excerpta reperiamus. Ac certe hic liber

Nich. Harpisfildus in ſua hiſtoria.

Nicholaus Harpisfildus.

optima methodo conſcriptus, & in quadraginta diviſus capita ſolenne exordium continet, atque (ut mihi videtur) perſonæ, functionique Epiſcopi valde conſentaneum, nempe *Paſtorem vigilare oportet.*

Rogerus Hordus.

Inter alia quæ *Oxonii* geſſit adoleſcens memoratu digna, illud prætereundum non eſſe judicarim, quod lectiſſimis ac doctiſſimis viris ſemper ſe adjunxit, literis enim *Uvedallorum* commendatitiis adjutus in *Gulielmi Courtnei*, & *Johannis Buckingami*, primariorum ſane hominum, & tam civilis juriſprudentiæ, quam theologiæ laude inſignium, conſuetudinem ſe dedit, itaque ſe in eorum gratiam, & familiaritatem quinquennali obſervantia inſinuavit, tantaque animadverſione, & diligentia, tum ex ſuggeſto, tum ex Cathedra docentes audivit, ut eum non in Academia ſolum ſumma benevolentia complexi ſint, verum etiam poſtea ſingularibus beneficiis adornarint. Nam & *Courtneus* in Aula *Edingtoniana* egregias ejus anteactæ vitæ virtutes ita mirifice commendavit, ut apud *Edingtonum* Præſulem, alioſque viros nobiles, eum ſumma in gratia poneret, & *Buckingamus* in Aula Regia tantas laudes non ſolum ingenio ejus, & prudentiæ, ſed etiam integritati, & fidei tribuere non dubitavit, ut omnium, regnante *Edwardo*, opinione *Wicamus* digniſſimus haberetur, qui tam in Archidiaconatu *Northantonenſi*, quam in officio cuſtodis privati Sigilli *Buckingamo* ſuccederet. Quod ei quidem ſumma ipſius *Buckingami* voluntate contigit. Quid quod idem *Buckingamus* ad dignitatem pontificiam in Eccleſia *Lincolnienſi* jam provectus, priſtinæ conſuetudinis qua fuerat cum *Wicamo Oxonii* conjunctus longo intervallo memor, *Wicamicas* virtutes illico

Meminit Aulæ *Edingtoniæ* & educationis *Wicami* in eadem *Harpisfildus* in ſua hiſtoria.

Eum Archidiaconatum *Wicamus* per reſignationem *Buckingami* aſſecutus eſt ut in Recordis Regiis appareat, an R. *Ed.* 3. 7. membr. 28. & in Recordis *Lincoln.* de an.

illico duplici in Eccleſia ſua Archidioconatu, *Lincolniæ* ſcilicet, & *Buckingamiæ*, una cum Præbenda de *Sutton*, vix ſemeſtri ſpatio interjecto, amplificavit & ornavit. Quid quod eandem in *Wicamum* benevolentiam tam inflammato ſtudio in omni vita retinuit, ut non ſolum eum juvenem prebendis, & dignitatibus, verum etiam Collegium *Oxonii* ab eo pene ſexagenario fundatum, inſigni Eccleſia & Manerio de *Swaklif*, & poſſeſſionibus ad ampliſſimos redditus annuos excreſcentibus, auxerit, & locupletarit. Ex Archivis Epiſcopi *Lincoln.* & in Recordis Regiis an. R. *Ed.* 3. 36. & 37. membr. 10. & 28.

Illud forte dolendum quod in medio ſtudiorum curſu *Wicamus* à muſarum domicilio diſtractus ſit. Quid enim illa eximia indoles, & exquiſitum ingenium non perfeciſſent? Verum enim vero, vix quinque annos ac menſes octo *Wicamus* in Academia plene exegerat, quum *Uvedallus* eum ab inſtituto curſu ad novum munus & quaſi penſum per literas revocavit. Nam quum ille ab *Edwardo* Rege hujus nominis tertio ſummam *Suthantonenſis* Provinciæ præfecturam ad vetera præclara officia, quaſi recentem acceſſionem accepiſſet, eamque ob cauſam ad multitudinem, magnitudinemque negotiorum facilius expediendam prudentibus, & eruditis ingeniis ſibi opus eſſe intelligeret, alios aliis negotiis egregios viros præficiens, *Gulielmum* ſuum omnibus rebus præcellentiſſimum, ſecum & ſibi à conſiliis eſſe voluit. Quo factum eſt, ut *Wicamus* non jam circa Mathematicas apodixes, aut edicta prætoria, & ſanctiones *Cæſareas* (quibus ſtudiis magna diligentia, induſtriaque incubuerat *Oxonii*) ſibi elaborandum eſſe duceret, ſed ſtudio Philoſophiæ intermiſſo, quid in ſcribendi, dicendique facultate tum Latine, tum *Rogerus Horduſ.*

Gallice, quid in patrii ſermonis puriore & ornatiore uſu poſſet, omni conatu tentandum exiſtimaret.

Qua in re quum jam à ſcholis *Vintoniam* quaſi poſtliminio reverſus eſſet, ita laudabiliter, & egregie ſe geſſit, ut *Uvedallus* ſive ad graviſſimum Regis Senatum, ſive ad illuſtriſſimos Regni proceres, ſive ad Regem ipſum literas aliquas mittere ſtatuiſſet (quod illi ſæpiſſime faciendum erat) id negotii *Wicamo* ſtatim mandaret, ut ejus & prudentia curaretur, & elaboraretur induſtria. Nam quod pleroſque ejus Synchronos teſtatos fuiſſe Majoribus noſtris intelligimus, & ab illis conſtans fama ad nos uſque perduxit, nemo illa ætate ſcripſit limatius, nemo locutus eſt ornatius. Cujus ſane virtutis excellentia tot, tantaque, illi commoda, opportunitateſque, attulit, ut dignus haberetur qui Secretarii munus obiret, non ſolum id temporis apud *Uvedallum* Mæcenatem ſuum, verum etiam & triennio poſt apud *Edingtonum Vintonenſem* Epiſcopum, magnumque *Angliæ* Theſaurarium, & poſtremo apud ipſum Regem *Edwardum* hoc nomine tertium, qui hominum ingenia ſolertiſſime perſpicere ſolebat. Sed ut paulo altius exordiar, illud neceſſario non prætermittendum, & ſcitu non indignum, quibus initiis ad tantos iſte *Gulielmus* honores aſcenderit; gratiamque & authoritatem apud tam intellitem, & ſapientem principem primum inierit. Sic igitur res habet.

Jo. Lelandus. Ro. Hordus.

Lelandus.

Cum *Edwardus* Rex poſt nobile illud oppidum finibus Galliæ fortiſſime expugnatum (quod veteres Iccium portum, hodierni Caletum appellant) aliquam jam liberi temporis nactus facultatem, partes maritimas ſui Regni auſtrales perluſtraret, & a portus

Iccium portum *Julius Cæſar*, Sledanus Caletum appellat.

tus oſtio (quod *Portſmouth* vocant) ad *Suthantoniæ* portum, deinde ad Caſtellum *Vintonienſe* & *Wolveſeum*, Epiſcopi palatium, ſe conferret, ibi forte *Wicamum* qui *Edingtono* Epiſcopo tum erat à conſiliis & epiſtolis, conſpicatus, magnam illi in vultu (qui ſenſum animi plerunque indicat) & dignitatem ineſſe dixit, & gravitatem. Erat enim is non ſolum facie liberali conſpiciendus, verum etiam excelſi corporis ſtatura decoratus, quam Hippocrates in juvenibus gratioſam eſſe ſcribit. Quæ res nonnullos (ut dixi) in errorem induxit, ut eum non à patre, ſed à proceritate *Longum* nominari autumarint.

Lelandus in itinerario.

Hippocrates in aphoriſmis, unde error *Vindeſorenſis* profluxit.

Regis autem conjecturam ex tacita corporis figura ſumptam cum *Edingtonus* Epiſcopus & *Uvedallus* confirmarent, hominemque de meliore nota commendarent, Rex illico eum ad ſe arceſſit, & ex ſermone (vero indice animi) ad decus & gloriam natum perſpiciens, in ſuorum numerum aſcribit.

Rog. Hordus.

Ibi *Uvedallus* omnem ejus ab ineunte ætate educationem, deinde in Academia *Oxonienſi* ſub eruditiſſimis viris ejus in dicendi, ſcribendique facultate, & liberalibus diſciplinis progreſſum, Regi exponit; quæ quidem *Uvedalli* commemoratio animum principis (qui longe plurimum honeſtati, & excellentibus viris tribuebat) magna voluptate, & jucunditate dicitur perfudiſſe. *Vintonia* paulo poſt *Windeſoriam* Rex petit; eum *Wicamus* comitatur, atque omni principem ſuum aſſiduitate, cultu, & obſervantia proſequitur. Cum Rex prodiret, ei ſtatim *Wicamus* erat in oculis: Si quid Rex mandaret, id primo quoque tempore *Wicamus* obire, & rara ingenii ſolertia exequi ſatagebat. Quo factum eſt ut *Edwardus*

Hoc omnes Annales noſtrates teſtantur in Hiſtoria *Ed.* 3.

dus Rex multo magis in illius ſtudium incitaretur, dignumque congreſſu, & colloquio ſuo judicaret. Quo autem ejus ingenium altius exploraret, multas illi illuſtres queſtiones, quæ ſtatum ac ſummam rerum continerent, ut de bello ſuſcipiendo, vel deponendo, de conditionibus pacis ineundæ, de ærariis rationibus amplificandis, de induſtria proponere ſolebat; quibus *Wicamus* extempore ita ornate, & prudenter, tum verbis, tum ſententiis reſpondiſſe fertur, ut Rex præſenti ejus ingenio, & peracutis reſponſis mirifice oblectaretur.

Idem *Rogerus Hordus.*

Quum vero geometriæ & architectonicæ peritum eſſe intelligeret, majore eum in honore & pretio habuit, quod illis artibus ad eam rem quam parabat, ſibi opus eſſet. Ædificia enim magnifica, & Regalia extruere ſtatuerat. Itaque primum fabricis eum in Maneriis de *Henly*, & *Yeſtanſted* Regiis præfecit; deinde cuſtodiam illi rotulorum in itinere ad placita Foreſtæ de *Chuit* detulit; tum ſuperviſorem operum ſuorum in Caſtro de *Windeſor*, & ſaltibus circumjacentibus eum conſtituit: Unde quidam vel ignoratione demerſi vel diſrupti invidia, à fabricis eum fuiſſe *Edwardo* Regi recentiore memoria (ut eſt hæc ætas ἐπισκοπομαστίγων ferax) ſcripſerunt; quaſi is faber Lignarius principi, ac (ut proprio unius obtrectatorum verbo utar) Carpentarius fuiſſet. At ſani, & intelligentes ex his facile perſpiciunt aliam Regis in *Wicamum* fuiſſe voluntatem. Etenim non ita multo poſt adeo ſe munificum præbuit, ut quinque menſium curriculo quinque *Wicamo* munia, vel munera, ultro largitus ſit. In his autem ſtructuris, aliiſque negotiis Regiis, cum tam ſingulare *Wicamus* conſilium

Prima pars paten. an. R. *Ed.* 3 30. M. 1. Secunda pars paten. an. eodem M. 6. Tertia pars paten. eodem an. M. 21.

Tertia pars paten. R. *Ed.* 3. M. 10.

um in providendo, in agendo ſolertiam, in conficiendo celeritatem adhibuiſſet, ejus virtutem admiratus Rex, inuſitato eum, & inaudito diplomate ornavit in hæc verba.

Sciatis quod nos de fidelitate, & circumſpectione dilecti Clerici noſtri Wilhelmi *de* Wickam *conſiderantes, conſtituimus ipſum Capitalem cuſtodem & ſuperviſorem Caſtrorum noſtrorum de* Windeſor, Leedes, Dovorum, & Hadlee, *& omnium Maneriorum noſtrorum de veteri* Windeſor, Wichmere, Folieoham, Eton, Yeſtanſted, Gildford, Henly, Kiniton, Shine, Eltham, Childerlangly, & Leedes, *& parcorum ad eadem Caſtra, & Maneria ſpectantium; dantes ei plenam tenore præſentium poteſtatem ordinandi, & diſponendi de omnibus operationibus tam Caſtrorum Prædictorum, quam Maneriorum, & Parcorum prædictorum, de defectibus in iiſdem Caſtris, Maneriis, & Parcis exiſtentibus, reparatione, & emendatione quibus neceſſario indiguerint, reparari & emendari facienda; & ad Carpentarios, & alios operarios, ac petram, mœreniam, & omnia alia quæ pro operationibus in Caſtris, Maneriis, & parcis prædictis neceſſaria fuerint, pro denariis noſtris inde ſolvendo, capiendo, & in operationibus illis ponendo; ac* Leitas *& alias Curias noſtris in maneriis prædictis tenendas, & de tranſgreſſionibus, & exceſſibus in locis prædictis factis, & de libertatibus, & juribus noſtris, & de omnibus aliis quæ ad nos pertinent ibidem inquirendum, & ad tranſgreſſores quoſcunque in Caſtris, Manerius, & parcis prædictis capiendum, & ad alium vel alios quos idoneum vel idoneos noverit, cum ad hoc perſonaliter*

ſonaliter vacare non poterit, ad præmiſſa & eorum quælibet facienda loco ſui deputandi, & ad omnia alia quæ pro commodo noſtro & bono regimine Caſtrorum, & Maneriorum, & Parcorum prædictorum, ac terrarum, & tenementorum ad ea ſpectantium, neceſſaria fuerint, prout ſibi melius & utilius videbitur, expediri.

LIB. I. CAP. 3.

Deſcriptio Collegii, & Caſtri Windeſoriæ, *quibus elegantiore ſtructura condendis* Edwardus *Rex pecuniam & ſumptum,* Wicamus *conſilium & induſtriam impendit: deinde quemadmodum is ſacro charactere ſuſcepto, omnia temporalia officia, apud Regem depoſuerit, & ad cœleſtes diſciplinas ſe converterit, & ut Rex eum compluribus dignitatibus Eccleſiaſticis cumularit, ac in primarium Secretarium, ac privati Sigilli Cuſtodem, atque Epiſcopum* Wintonienſem, *nec non ſummum* Angliæ *Cancellarium, & Preſidem ſacratioris conſilii, adoptarit.*

EN tibi quatuor Caſtrorum, & duodecim Maneriorum cuſtodiam, ac præfecturam ſoli *Wicamo* uno diplomate à Rege omnium prudentiſſimo commiſſam. Simul & hoc animadverſione dignum ut illum præterea protoforeſtarium, & ad ſalutarias cauſas, Leitaſque tenendas judicem conſtituerit, proventibus, & fructibus ampliſſimis locupletarit, baſilicas, & Caſtra Regia illuſtri ædificiorum apparatu

apparatu, pro illius arbitrio exornari juſſerit. Nam quum ex compluribus præclariſſimis victoriis gloriam ampliſſimam in exteris Regionibus eſſet conſecutus, crevit illico illi animus (ut eſt victoria natura inſolens & ſuperba) ut in ſuo Regno, ac victrici ditione haberet monumentum ſuæ fœlicitatis perenne, cujus fructum, & ipſis debellatis hoſtibus jucundem, perciperet, & ad poſteros ſimul cum æterna ſui nominis memoria tranſmitteret. *Vindeſoria* igitur, & quia Regi natale ſolum erat, & quia ſitu eſt communito, tum undique ad aſpectum præclaro, electa eſt ubi hoc tam eximium, & illuſtre Prytaneum collocaretur.

Atque hoc percommode tunc temporis cecidit, ut omnia ibi vetera ædificia diruerentur, & magnificentiora, magiſque Regalia inſtaurarentur, cum Rex apud ſe duos Reges, Galliæ videlicet ac Scotiæ, ibi Captivos teneret. Cum igitur *Wicamum* præ cæteris Geometriæ, & Architectonicæ laude præſtantem, ac nobilem eſſe intelligeret, cujus etiam ingenium & induſtria in aliis magnificis ædificiis jam antea enituiſſet, tanto operi conficiendo præter *Wicamum* præfici volebat neminem.

In quo quid aut quantum præſtiterit, quid attinet dicere? Cum quinque præſtantes viri (ut ego taceam) nempe *Thomas Walſingamus* fidelis hiſtoriographus, *Polidorus Virgilius* Italus non inelegans, & Hiſtoriæ noſtræ peritiſſimus, *Johannes Lelandus* antiquitatis cum primis ſtudioſus, *Thomas Smithus* doctiſſimæ Reginæ *Elizabethæ* nuper ſpectatiſſimus Secretarius, & *Gulielmus Camdenus* ob præclaram Britanniæ deſcriptionem perpetuo victurus, ejus nomen

Tho. Walſingamus.

Pol. dorus Virgilius.

Johan. Lelandus in itinerario.

Tho. Smith in Commentariis *Windeſoriæ.*

Camdenus in deſcriptione Britanniæ.

men ante me æterna laude celebrarint. Illud certum eſt Quod vel ingenium in excogitando vel ars in architectando, vel in conſummando induſtria perficere potuit, id *Wicamum* accuratiſſime præſtitiſſe. Univerſum enim ædificium ea videmus eſſe magnitudine, ut & Baſilicam Regiam, & templum ſacratiſſimum contineat; eo ſplendore ut præ aliis mirifice collucere videatur; ea varietate operum, ut ars certare cum copia exiſtimetur; partes ſingulas non eſt tam facile oratione diſcribere, ac diſtinguere, quam jucundum oculis cernere, atque contueri. Caſtrum quidem, quod ambitu ſuo cætera ædificia continet, eſt non modo foſſis, & propugnaculis ex quadrato ſaxo munitiſſimum, ſed turribus etiam, & turriculis ornatiſſimum. Ut autem ſplendorem, & magnificentiam auguſtiorem præ ſe ferat, duas habet areas: Interior Baſilicam Regis (conſpiciendum imprimis, & Regale opus) complectitur, exterior vero in ipſo ingreſſu votivum templum opere mirabili perfectum oſtendit, quod Rex poſt *Creſſenſem, Pictavienſem,* & *Caſtrenſem* victorias *Mariæ* Virgini, & *Georgio Capadociæ* Martyri conſecrari voluit. A ſiniſtra en Collegium Decani & duodecim præbendariorum ad propagandam Dei laudem, ac religionis ſanctimoniam fundatum. A dextra en ædes duodecim pauperum militum quos eleemoſynarios appellant. In hunc numerum illi ſolummodo aſcribi debent, & ſolent qui generoſa ſtirpe nati, & provectioris ætatis, emeritis ſtipendiis, vel paupertate, vel vulnere fuerint afflicti, ut tandem poſt multos annos in periculis tranſactos, ætatis extremum vita religioſa, & pacifica concludant. In ipſo introitu en ad occidentem

Pol. Virgilius in hiſtoria.

Tho. Smith in commentariis *Windeſor.*

cidentem Clericorum domicilia & eorum qui ſacris præſunt. Inter utramque aream proxime Decani ædes, nec longe à porta, quæ in interiorem aream ducit, in altitudinem mirandam quaſi ſpecula ſurgit rotunda turris (vulgo *Wincheſter Tower* appellata) ab *Wicami Vintonienſis* Epiſcopi temporibus, qui eam conſtruxit, in hunc uſque diem nomen retinens, ipſiuſque ſucceſſores quotannis ad ſtata feſta *Georgiana* advenientes hoſpitio complectens. Sed & e regione Boream verſus ſe offert Arx, *Bello-Campenſis* olim (quia Comes de *Bello-Campo* in ea diverſatus, ſummam liberalitatem exercebat) nunc *Scotica* appellata, quia *Davidem Scotorum* Regem in cuſtodia aliquandiu detinebat. Cum autem hanc tam elegantem, & magnificam ſtructuram Rex oculis undequaque perluſtraſſet, animi incertus dicitur hæſiſſe, majeſtatemne ſtructuræ, an induſtriam conſtruentis admiraretur magis, qui tam diligenter operi inſtitiſſet ut triennii curriculo opus immortali memoria dignum abſolverit. Itaque ut hanc novam (ut ita dicam) creaturam ſuam omni honoris amplitudine illuſtraret, huic loco præ cæteris inaugurationem militum *Jarterii*, ſive periſcelidis, adnectendam cenſuit, & ejuſdem nobiliſſimi ordinis Epiſcopum quidem *Wintonienſem* Prelatum, Decanum vero *Vindeſorienſem* Clericum conſtituit.

Pol. Virgilius. Tho. Smith. Gul. Camdenus.

Quo quidem excellente opere ad amuſſim, & exactiſſima diligentia elaborato & abſoluto, non deerant quidam invidi, & malevoli qui Regi in aures inſuſurrarent *Wicamum* tam magnificæ ſtructuræ honorem ſibi arroganter vendicaſſe, adeoque in nomen ſuum in interiori quodam pariete Arcis *Windeſoriæ* inſculptum,

Camdenus in ſua deſcriptione Britanniæ, Chorographica. Idem refert deſcriptor vitarum Archiepiſcop.

Cantuar. in vita *Sudburei.*

ſculptum, Regalis ædificii titulum nominatim trajeciſſe: verba autem quæ calumniandi anſam præbebant hæc ſunt, *This made Wickam. i.* Hoc fecit *Wickam.* Latine enim non poſſunt tam venuſte exprimi quam noſtrate lingua quæ caſibus raro diſtinguitur, & in qua adeo ambigua eſt illa oratio ut incertum ſit utrum is Arcem, an Arx eum perfeciſſe dicatur. Cum autem Rex ſtomacharetur, & iracunde *Wicamo* crimen objiceret, quod delatum erat, ille vultu non triſti, aut conſternato, ſed hilari ac jucundo reſpondit; aut ſtultum hominem inſcitia Grammaticæ, aut calumniatorem malitioſa caſuum inverſione illam criminationem inſtituiſſe. Neque enim Rex ſereniſſime (inquit) ego hanc Arcem, ſed hæc Arx me, quantus quantus ſum, effecit, hoc eſt me in laude, ac gratia apud tuam majeſtatem poſuit, atque ab humili conditione ad tantas fortunas, & dignitates evexit. Quod reſponſum tam facetum, ac *Wicamo* dignum (erat enim verum ſpecimen humanitatis, venuſtatis ac leporis) non ſolum omnem iracundiæ acerbitatem Regi abſterſit, verum etiam lætitiam in ejus animo, tum commotionem ſuavem jucunditatis in corpore excitavit. Ab eo die ad illam animi proclivitatem, ac ſtudium ſingulare quo Rex in *Wicamum* inclinabat, tantus indies cumulus acceſſit, ut ad quævis ardua negotia eum vocaret, & intimis ac ſummis conſiliis adhiberet.

Wicami Apophthegma.

Quum vero Rex in *Wicamo* erga ordinem ſacerdotalem propenſiorem voluntatis inclinationem animadverteret, dici non poteſt quam vehementer ac ſerio operam dederit ut ex Eccleſiaſticis beneficiis, ac præfecturis aliiſque honorificis muneribus maximæ

ei

ei dignitatis fortunæque acceſſiones fierent. Itaque cum in Galliam profectus eſſet, ademit ei conſpectum *Wicami* mutatio loci, eximiam in *Wicamum* benevolentiam non ademit: quamvis enim abſens, quamvis terra marique longiſſime disjunctus eſſet, tamen Decanatum Sancti *Martini* (*Le grand*) *London* cum Aſyli præfectura illi per *Thomam* filium ſuum natu minimum (quem interim *Angliæ* cuſtodem conſtituerat) menſe *Maio* anno Regni ſui 34. conferri juſſit. Prima pars Paten. an. R. *Ed.* 3. 34. M. 26.

Hic autem animus ut profectione mutari non potuit, ita nec reverſione. Eodem enim anno, menſe *Auguſto*, Præbendam de *Filxton* in Eccleſia *Lichfildienſi*, à Rege conceſſam eſſe *Wicamo* reperimus. Interea *Wicamus* Theologica tractare, ad ſanctius opus deſignari, initiari ſacris. Cum autem Presbyteratus Characterem jam ab *Edintono* Præſule ſuſcepiſſet, & in ſpeculum miniſterii Eccleſiaſtici ab Apoſtolo ob oculos propoſitum, penitius intueretur, ne ſacra (ut dicitur) profanis miſcere videretur, primo quoque tempore omnibus priſtinis muneribus, ac diplomatis ſe abdicare cœpit, & in lege domini meditari aſſidue, & ſacroſanctas ſcripturas diligenter perſcrutari. Rex autem quum multa in eo Inſignia ad decus & gloriam animadverteret, nullum tempus prætermittit de amplificandis illius ornamentis & commodis cogitandi. Itaque in eodem temporis veſtigio Eccleſiam illi de *Pullam*, *Norwicenſis* Diœceſis detulit. Deinde unius menſis curriculo non ſolum quatuor Præbendis illum (in Eccleſia ſcilicet divi *Pauli London.* & *Herefordienſi*, & *Menevenſi*) cumulavit, verum etiam una cum *Petro Atwood* Clerico ſibi imprimis charo, Secunda pars Paten. an. 34. R. *Ed.* 3. M. 15. *Lelandus* & eum ſecutus *Johannes Stowus*. *Paulus* ad *Titum* & *Timotheum*. Secunda pars Paten. 35. M. 9. In eiſdem literis Patentibus: M. 11. Ex rotulo ſeptimum 35. R. *Ed.* 3. M. 24.

charo, & genere inſigni Cuſtodem, & ſummum Juſtitiarium omnium Foreſtarum cis *Trentam* Fluvium, honoris cauſa deſignavit. Quo quidem munere (quod magis admirere) nulli hodie niſi Comites, & clariſſimi viri potiuntur.

Præterieram fere quod nullo modo videtur reticendum, quum eodem anno in Foro legali *Weſtmonaſterii* (quod commune *Bancum* vocant) officium Chirographiæ vacaret, quod quidem ſummæ integritatis & fidei virum deſideraret, ad hoc quoque inſigne munus Rex eum, præ cæteris, ſingularis virtutis ergo evexit. Nec integri octennii ſpatio hujus eum muneris functioni renuntiare paſſus eſt, ne tum quidem quum Senatoria, & Epiſcopalia munera, atque adeo ſumma gubernacula Reipublicæ eidem quamvis renitenti impoſuiſſet. Quid quod præpoſitura quoque ac Præbenda ei annexa in Eccleſia *Wellenſi* à principe benigniſſimo ultro ei defertur? Quid quod Regiæ majeſtati à conſiliis, & primarius Secretarius, & Cuſtos privati Sigilli conſtituitur? Deinde tam ſecunda erat in *Wicamum* voluntas principis, ut nullum genus ampliſſimi honoris, & dignitatis excogitari poſſet, quod non illi nec optanti, nec ſperanti paratum fuerit, adeo ut hiſtorici nonnulli gazæ etiam Regiæ Quæſturam, & præcipuum ſanctioris Ærarii munus (licet minus vere) illi tribuerint. Dum in hac Regis gratia & amicitia eſſet *Wicami* virtus, ecce vir ſumma integritate, fide, & prudentia, *Edintonus* Epiſcopus *Wintonienſis* moritur, cujus incredibiles virtutes ac pene divinas admirabantur omnes, cujuſque morte non ſolum Eccleſia *Vintonienſis*, ſed tota etiam Reſpublica damnum

Eodem anno M. 57.

Eodem anno.

Anno 3 R. *Ed.* 3. M. 1. & 21.

Lelandus Stowus.

num feciſſe videbatur. Quum ergo virum aliquem omni ex parte parem, qui in ejus defuncti locum ſufficeretur, Rex undique more ſuo conquireret (non enim ſolebat quenquam niſi ſuffragantibus meritis, & quem integritas vitæ & ſanctimonia ſingularis commendarat, ad culmen dignitatis provehere,) nemo illi occurrebat *Wicamo* anteponendus, nemo cujus virtutes hunc tantum honorem æquiore jure poſtularent. Erat illi quidem per id tempus & Clericus Regis (nos Sacellanum nunc appellamus) & primarius Secretarius, & Cuſtos privati Sigilli, iiſque muneribus egregie fungebatur. *Hereſius* autem principem ac ſelectam cauſam adfert quæ Regem impulerit ut de *Wicamo* tam honorifice ſentiret.

Hanc laudem omnes Hiſtorici *Ed.* 3. tribuunt.

Hereſius indicta Epitome.

Credidit enim Rex (*inquit*) *ſi quid ſibi humanitus contingeret, liberis ſuis fide & ſolertia* Wicami *ſedulo proſpectum iri; ſin ſummus illi deus uſuram hujus lucis longiorem concederet, ſperavit ſe ejus ope, & auxilio clavum & curſum imperii ita moderaturum, ut & Eccleſiæ ſplendor, & Reipublicæ dignitas, & ſubditorum beatitudo conſtitueretur, id quod* (*ut idem* Hereſius *teſtatur*) *rei eventus poſtea* (*quoad* Wicamus *ſummum gradum teneret*) *comprobavit.*

Itaque facta à Rege poteſtate, optioneque libera in Eccleſiæ *Wintonſ.* Cathedrali, tum divo *Swithuno* nunc Sanctæ & individuæ Trinitati Sacra, à Priore & Conventu Monaſterii *Gulielmus Wicamus* in Epiſcopum *Wintonienſem* unanimi omnium conſenſu eligitur. Quæ res adeo grata fuit, & Jucunda Regi, ut non ſolum aſſenſu ſuo eorum ſuffragia, & ſententias approbarit, verum etiam temporalium ejuſdem

Electio *Wicami* in Epiſcopum *Winton.* ex Regis Col. *Winton.* & Archivis Regiis patente an. 4. R. *Ed.* 3. parte ſecunda M. 21. & 30. Paten. an. 10. R. *Ed.* 3. parte 2. M. 19.

Epiſcopatus

Cuſtodia temporalium Epiſcopat. *Winton.* datur à Rege *Wicamo.*

Epiſcopatus cuſtodiam illi confeſtim tradiderit; anno gratiæ Milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo, anno Regni ſui triceſimo nono, & anno nativitatis *Wicami* quadrageſimo ſecundo. Quo etiam anno, paucis menſibus interjectis, idem *Wicamus* ad ſummum Cancellariatus munus (quo *Langamus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* ſe pridem abdicaverat) à Rege perducitur, & paulo poſt in Præſidem ſacratioris conſilii cooptatur, tantaque & tam illuſtri gratia, & honore apud principem creſcit in dies ſingulos, ut antea eum dilexiſſe, nunc cum veneratione amare videretur. Neque vero in oculis ſolummodo Regis, ac principum Regni, verum etiam in auribus aliarum gentium magnus cenſebatur, longeque abſentibus ac remotis celebritate famæ notiſſimus. Teſtantur hoc veteres, tam noſtrates quam exteri, annales, & imprimis Gallica *Froſſardi* Hiſtoria ſingularis.

Wicamus fit magnus Cancellarius *Angliæ.*

Regis amor ſingularis in *Wicamum.*

Celebritas famæ apud exteros.

Ex hiſtoria *Froſſardi* gallica.

En ce temps (dit ill) regnoit ung preſtre qui an appelloit meſſire Guillaume *de* Wickam; *I celluy* Guillaume *de* Wickam *eſtoit ſi bien in la grace du Roy Anglieterre que par luy eſtoit tout faict, et ſans luy en lee faiſoit riens.*

His temporibus (inquit) quidam præsbyter regnabat, quem *Gulielmum* de *Wickam* appellabant. Is *Gulielmus* de *Wickam* tanta apud Regem Angliæ erat in gratia, ut omnia per eum fierent, & abſque eo fieret nihil.

LIB. I. CAP. 4.

Quam inſigni Wicamus *ſolicitudine, dexteritate & prudentia, utriuſque muneris functionem, Epiſcopi nimirum, & Cancellarii adminiſtraverit. Deinde quum proſpiceret quanta invidiæ tempeſtas univerſo ordini Clericali impenderet, quod ii ſoli ampliſſimis poteſtatibus, & officiis regiis potirentur; quam ſolerter ille ante turbines, & procellas altero magiſtratu ſe abdicaverit, & magnum Sigillum Regi ultro in manus tradiderit.*

DEinde anno vertente *Wicamus* ab eodem Archiepiſcopo *Langamo* conſecrationis pontificialis inauguratione inſignitus eſt. Cum igitur jam ſummam *Vintonienſis* Eccleſiæ Præfecturam pleno jure adeptus eſſet, eoque nomine ſecundum Apoſtoli præceptum gregis Chriſti Regimen illi incumberet, dici non poteſt, quanta cura, ac ſolicitudine colligere ſe, atque accuratius animadvertere cœperit, quid in ſe ſuſcepiſſet, & quid ſuſtinere poſſet. Videbat enim cum Divo *Paulo* Epiſcopatus officium nomen eſſe operis non honoris; videbat cum *Auguſtino* non habendum eſſe pro Epiſcopo qui præeſſe didicerat, non prodeſſe; videbat etiam duas adminiſtrationes quodammodo inter ſe diſcrepantes diſſidenteſque ſibi eodem tempore imponi, ſeque ad tuendam perſonam utriuſque magiſtratus (quam ſuſtineret) pene diſtractum iri: unde quibus rationibus non ſolum gregem ſuæ fidei ac poteſtati commiſſum pro ea qua decuit diligentia paſcere, & informare, verum etiam

Wicami Conſecratio Anno 1368.

Prima *Petri*, 5. Epiſtola priore ad *Timotheum* Cap. 3. ἐπισκοπὴν non honorem, non gloriam, ſed opus definiit Apoſtolus: *Auguſtinus* Cap. 19. lib. 19. de virtute Dei. c. 19. Civitate Dei. & 8. queſtione. 1. Can. qui Ep. Nam Epiſcopi debebant ſuperintendere, unde Græce dicitur ſignificantius ἐπισκοπεῖν, ut Hironymus notat ad Evagrium, & 93 diſt. C. legimus & d. 8. q. 1. c. qui Epiſcopatum. &c.

tantum magiſtratum civilem pro ſua, & Reipublicæ dignitate adminiſtrare poſſet, hoc ejus animum dies noctesque ſtimulabat, ac quaſi aculeis pungebat. Verum quum ad unamquamque rem exiſtimandam, momentoque ſuo ponderandam altiore incubuiſſet ſtudio, atque omnes rationes, & conſilia doctiſſimorum hominum, & uſu peritiſſimorum ad utriuſque muneris functionem (ne vel Reipublicæ vel Eccleſiæ deeſſet) ſimul præſtandam, ac præclare obeundam exquiſiviſſet, ſic ſecum in animo conſtituit, in ſingulis oppidis atque curiis Presbyteros ac miniſtros doctrina ac pietate inſignes, ſecundum normam & præſcriptum Apoſtoli, per univerſam dioceſim eſſe præponendos, qui gregem ſibi concreditum tam ſalutari verbo Dei paſcere, quam ſancta morum conformatione imbuere didiciſſent. Ante omnia tam Diaconos quam qui ſupra eos collocati ſunt Præsbyteros ac Sacerdotes, ab infami illa ebrietatis, & libidinis macula omnino immunes eſſe voluit. Nam quum ipſi Sal terræ, Lux mundi, ac diſpenſatores myſteriorum Dei crebro in ſcripturis uſurpentur, nimis indignum eſſe dicebat, eos vinolentia deformari, vel cubilibus, & immunditie inquinari, à qua turpitudinis labe & ignominia omnes etiam ex populo (quos Laicos vocant) melioris notæ abhorrerent, quum etiam ii, quotquot profeſſioni Chriſtianæ nomina dederunt, vaſa honoris, & templum Spiritus Sancti eſſe debeant. Et quum illa vox *Ezechielis* Prophetæ (*ſpeculatorem te dedi domui* Iſrael) aures ejus aſſidue circumſonare videretur, ut ad munus ſuum Epiſcopale curandum mirifice excitaretur; quanquam antea in omni vita in laude, decore, & honeſtate

Διδακτικὸν Apoſtolus requirit qui ſic doctrina polleat ut alios docere poſſit.

Καὶ ἀνεπίλημπτον irreprehenſibilem.

Ezechiel 30. Epiſcopi græce; latini ſpeculatores, & ſuperintendentes interpretantur 21. diſtic. cap. Cleros & dicto can. legimus.

neſtate vixerit, tamen nunc ut aliis quos ſuſceperat regendos ac tuendos, exemplo eſſet ſeverioris diſciplinæ, auſteriore modo ſibi quoque vivendum eſſe judicavit. Reliquæ igitur vitæ curſum ſic inſtituit, ut, quemadmodum *Timotheo* primo *Epheſiorum* Epiſcopo præcipit Apoſtolus, ita ſe exemplar Fidelium in Sermone, in Converſatione, in Charitate, in Spiritu, in Fide, in Puritate exhiberet.

Et dicto can. qui Epiſcopatum. &c.

Heſius in dicta Epitome. *Paulus* 1. ad *Timotheum* cap. 4.

Neque enim ferendum eſſe putavit, ut Epiſcopus honorem illum gradus ſui (cujus ad *Timotheum* meminit *Paulus*) requireret inter homines, & miniſterii ſui dignitatem coram Deo (pro quo legatione fungitur) non retineret. Deinde quum videret magnum illum Apoſtolum, & vas electionis, in Epiſcopo requirere ut ſit hoſpitalis; quumque legeret *Abrahamum*, & *Lothum* Deo admodum placuiſſe, qui Angelos humana ſpecie indutos hoſpitio recepiſſent: Denique quum intelligeret Angelos hoſpitalem *Lothi* domum ingreſſos, eum cum tota familia liberaſſe, unaque *Sodomitarum* domos, hoſpitibus illis obſeratas, igne cœlitus demiſſo penitus perdidiſſe, hæc inquam & hujuſmodi egregia hoſpitalitatis exempla quum ei ſubinde occurrerent, viginti quatuor pauperes ad ædes ſuas *Vintonianas* arceſſi, ibique perpetuo quoad vixit alimentis, ac cibariis ſuſtentari juſſit. Neque hoc in pauperibus indigenis ſolum religioſe ſibi obſervandum duxit, ſed peregrinos etiam, ſecundum genuinam Apoſtoli ſententiam, hoſpitio, & omni humanitatis genere complexus eſt.

Prima ad *Timotheum* Epiſtola cap 5. Ad *Titum* c. 1. Græce φιλόξενος amator advenarum & peregrinorum vid. diſt. 42.

Geneſis cap. 18, 19.

In tractatu antiquiſſimo in Scaccario Epiſcopi *Winton.* remanente.

Dende memor loci in quo ea ſtudia coluerat per quæ ad hoſce honores, & dignitates tantas, aſcenderat, quinquaginta optimæ ſpei adoleſcentes ſeptennio

Nicho. Harpisfildus in ſua hiſtoria. Catalogus nominum eorundem eſt

penes *Wicamum* de *Swakelif.*

ante ſuorum Collegiorum ædificationem annua liberalitate in *Oxonienſi* Academia ſuſtentavit.

Hoc jacto fundamento in iis quæ in Epiſcopali functione ad Dei cultum amplificandum celebrandumque, magis neceſſaria intelligebat, ad civilis magiſtratus ſpartam (ut dicitur) ornandam ſe convertit: quam ad rem pro dignitate explicandam, quamvis ei tria ingenii ſumma adjumenta, dexteritas in percipiendo, in retinendo mira facultas, & in eloquendo divina quædam facilitas naturæ ipſius habitu, tanquam virgula divina, ineſſent, tamen ad illas eximias admodum, & illuſtres naturæ dotes ratio etiam, conformatioque doctrinæ acceſſit ſingularis, quam non in ſcholis ſolum, & longo rerum uſu acceperat, verum etiam ex doctiſſimorum virorum ſermonibus, collocutionibuſque in dies hauſerat, quibus ille in privatis ædibus à conſiliis uſus eſt. Nam & Theologos, & utriuſque juris Doctores, virtutis & eruditionis laude præſtantes, & juriſconſultos, in legibus Regni præcellentes, ſecum in familia retinebat, & omni munificentia & liberalitate afficiebat. Quid quod etiam hic ejus mos erat, ut quoties cauſas arduas, & difficultatibus implicatas aggrederetur, virum aliquem ex lectiſſimis judicibus ſibi advocaret, & in conſilio adeſſe vellet, ut ſic examen ſuum in trutina aliena caſtigaret, & perditis hominibus qui ſummis Magiſtratibus invidere ſolent, os obſtrueretur. Sœpenumero autem quum de illo ampliſſimo magiſtratu, ac judicandi munere loqueretur, dicere ſolebat, prætoria edicta, & reſponſa prudentium (quibus ſtudiis inter alias Juris prudentiæ civilis partes, ſe addixerat *Oxonii*) ſummam in ſe continere

tinere æqui ac boni rationem, & talia eſſe quæ animum Cancellarii ad moderationem, & æquitatem poſſent optime informare, atque acerbam legum municipalium ſeveritatem aliquo humanitatis condimento mitigare. In hac igitur cura, & meditatione obeundi ſui muneris, cujus quidem ſumma erat dignitas, & amplitudo, tantas ille facultates ingenii, conſilii, & integritatis oſtendit, nemo ut illo ingenio prudentior, conſilio peritior, gratia acceptior reperiri poſſet. Ac certe illud omnes animadvertebant, nihil illi fuiſſe antiquius, quam ut rem potius quam reum intueretur, & in judicando tam oculis quam manibus captus videretur. Illos enim duos periculoſiſſimos quidem & gratiæ, & pecuniæ ſcopulos tam ſtrenue ſemper vitabat, ut nunquam vel munere, vel favore corruptus eſſe diceretur. Nam illud ſordidiſſimi mercatoris, hoc abjectiſſimi adulatoris eſſe exiſtimabat. Talis denique juris ſcripti erat moderator, ut ex æquo & bono judicandum eſſe cenſeret; ſummum vero jus ſummam appellabat crucem. Itaque in hoc magiſtratu uſque ad annum ſalutis humanæ 1371. annum vero Regni *Edwardi* 45. tam caſte intigreque verſatus eſt, atque ita prudenter ſe geſſit, ut cum gratiæ cauſa nihil feciſſet, omnia tamen eſſent grata quæ fecerat, ac poſt hominum memoriam nemo illo ampliſſimo dignitatis gradu dignior, nemo univerſæ Reipublicæ utilior videretur. Verum enimvero quum circiter id tempus Rex bellicoſiſſimus poſt multa commiſſa prælia, hoſteſque ſæpe fuſos, nervis belli pecunia egeret, eaque de cauſa ex Galliis in Angliam redire bellumque intermittere cogeretur, graviſſimæ Annales noſtrates.

ſunt apud eum jam reverſum querelæ à militibus, aulicisque inſtitutæ, Regium patrimonium (quod non ſolum fons eſt benignitatis Regiæ verum etiam Reipublicæ firmamentum) dum Rex in expeditionibus bellicis occuparetur, partim quæſtorum avaritia interverſum, partim regiorum miniſtrorum libidine (quæ mater eſt avaritiæ) exhauſtum domi fuiſſe. Hujus autem criminationis invidia potiſſimum in univerſum Cleri nomen, ex eo quod omnia pene Regia munera, atque civilia officia (proceribus Regni in militiam una cum Rege amandatis) ab Eccleſiaſticis viris adminiſtrarentur, fuit concitata. Hinc illi turbines, & procellæ, hinc *Johannes Gandavenſis* Dux *Lancaſtriæ*, atque alii earundem cum illo partium principes ſimul conſpirantes, Regem adire, ejus ærarium ſpoliatum narrare, qui cum Rege in periculis militaribus fame, & ſiti, & æſtu, & vigiliis afflicti pro ſalute Reipublicæ excubarant, ac ſanguinem profundere non recuſarant, eos nunc tandem domum reverſos omnibus bonis ac fortunis exutos contabeſcere, dum illi qui hoſtis vultum nunquam aſpexerant, congeſtis undique divitiis ſinguli affluerent, & in excelſo loco præ cæteris, optime de Rege ac Republica meritis, eſſent collocati; profeſſioni eorum atque omnium ſacerdotum, qui rebus divinis, ac cœleſtibus pro officio ſuo tractandis debeant eſſe intenti, maxime repugnare, ut illi in ærarii rationes, & terrenas curas cogitationem ſuam defigerent, atque ex Clericis in Aulicos transformati, non in gregis ſed in Regiis oculis aſſidue verſarentur; æterno numini non probari, ut illi ordinis ac inſtituti ſui immemores, à Cœlo in ſolum, & ab Evangelica functione

Odium in Clerum.

Ex lib. Alban. & Hiſtoria *Thomæ Walſingami.*

ctione ad ſecularia munera abducantur. Denique tum demum per diſpenſatores verbi, & Sacramenti Evangelici, militiæ cœleſtis (quam illi profitentur) rationem fideliſſime inſtitui, quum eo modo militetur quo ſummus Imperator jubet. Ad hæc ſuggerebant & artificioſe inculcabant, magis è re principis & totius Regni uſu fore, ſi clericis ab hujuſmodi muneribus ſeclusis laici ſufficerentur. Rex qui magna eſſet ſagacitate & acumine, quique optime noſſet momenta temporum, & diſcrimina perſonarum, auditis tot tantiſque adverſus Eccleſiaſticum ordinem querimoniis, quamvis antea eorum fidem ſatis ſibi perſpectam, & longo uſu confirmatam habuiſſet, tamen ex hac novitate cujuſdam commodi ſpe fretus, confidenſque exactis ab eorum ſingulis adminiſtrationum ſuarum rationibus, ſe montes (ut dicitur) aureos inventurum, tandem importunis optimatum ſuaſionibus ac poſtulatis annuit, ac acquievit, ut Clericis loco, & dignitate ſubmotis, tam Cancellariæ quam ærario ſuo aliiſque officiis Regiis laici præficerentur. Cujus rei molitionem quum *Wicamus* ſubſentiret, illico (dum conſilia adhuc in integro eſſent) Regem adit, & vigeſimo quarto *Martii*, anno (ut diximus) ſalutis 1371, anno vero Regni *Edwardi* quadrageſimo quinto, *Weſtmonaſterii* magnum ei Sigillum in manus ultro tradit, ſufficiturque ejus loco *Robertus Thorp* Laicus, quem neque princeps, neque ſol integro anno Cancellarium aſpicere potuit.

Clerici Regis officiis amoti & laici ſurrogati An. Reg. *Ed.* 45.

LIB. I.

LIB. I. CAP. 5.

De infelici rerum ſucceſſu poſtquam Wicamus *loco ceſſerat, & de inflammato ejus ſtudio remigrandi ab Aula ad Eccleſiæ ſuæ præfecturam, deque literis tam Regalibus quam Cenatoriis ad abſentem ſæpius miſſis. Rex iterum Clericos ad munera Regia, ſecluſis Laicis, vocat, deinde Parlamentum cogit, in quo ſe debilitato & langueſcente, ad gubernacula Reipublicæ Antiſtites & optimates ſpeciatim eligit. D. Latimerum quamvis a cubiculo, ac cæteros* Lancaſtriæ *intimos foras ejicit atque exterminat, ac paucis poſt menſibus eo dux* Lancaſtrenſis *prorupit audaciæ, ut ſolus dominaretur; in Epiſcopos, atque Clerum omnem acerbitatem exerceret;* Wicamum *Regia prohiberet, & ut honorum temporalium privatio injuſtiſſima infligeretur efficeret. Rex primum implacate ferre, & bona Epiſcopatus temporalia in* Richardum *nepotem conferre; mox de innocentia* Wicami *edoctus eadem bona Epiſcopo reſtituit; tres clariſſimi Regni Comites ſe offerunt Regi* Wicamicæ *innocentiæ conſponſatores.*

Tho. Wilſingam. Froſſardus Pol. Virgilius.

INterea temporis in *Gallia* omnia quæ nobis anteactis temporibus erant ſecundiſſima, contrario curſu adverſiſſima contigerunt, bellum erat inſtaurandum, at Nervus belli deerat. Qui tributum antea, & fidem in Aquitania præſtabant, nunc per ſcelus, & perfidiam plerique omnes à nobis deficiebant. Itaque quum undique triſtia, & turbulenta Bella impendere

impendere viderentur, & *Wicamum* cura Eccleſiæ ſuæ, à qua diu diſtineri graviſſime tulit, à civili ad Eccleſiaſticam politiam revocaret; qui venia ſui principis tandem, ac vix tandem, (hoc eſt non ante annum Regni ejus quadrageſimum octavum) impetrata, ab Aula ad *Wintonienſis* Eccleſiæ præfecturam, tanquam ex magna jactatione & fluctibus periculorum, ad tranquillitatis portum ſe recepit. In quo quidem itinere quid dicam effuſiones hominum ex oppidis, atque villis? Quid concurſum ex agris, ex vicis, & domibus? Quid clamores populi undique, & applauſus? Longo ante ingreſſum in ſuam Civitatem *Vintoniam* intervallo admirabilis hominum frequentia ac celebritas illi occurrebat, & fauſtis acclamationibus inſitam ex ejus adventu lætitiam undique exprimebat. At vero in ipſa urbe à Nobilibus totius Comitatus, ab univerſo Clero, à Majore, Decurionibus, atque honeſtioribus civibus magnifice eſt acceptus, & ad Eccleſiam Cathedralem primum, & poſt hymnos, ac ſolennes gratias ibidem ſanctiſſimo numini habitas, ad Epiſcopale Palatium honorificentiſſime deductus eſt, ac perinde in honore & admiratione habitus ac ſi Angelus aliquis e Cœlo fuiſſet in terram delapſus. Igitur quum illic conſidere ſtatuiſſet, nihil profecto prius, aut antiquius illi fuit, quam ut *Moſis* exemplo, aut à Deo aliquid diſceret, aut ipſe populum doceret, atque ſecundum Apoſtoli præceptum partim lectioni, & exhortationi, & doctrinæ attenderet, partim Chriſti gregem ſuæ fidei creditum diligenter perluſtraret, & ad cognitionem Dei, ejuſque præceptionum obſervantiam, hoc eſt à terrenis ad cœleſtia, à craſſa ignorantiæ caligine ad

Defectio Aquitaniæ cujus principatum Rex *Ed.* filio primogenito contulerat.

Wicami ab Aula ad Dioceſim ſuam reditus.

lumen Scientiæ Evangelicæ traduceret. Ac certe in Sacrarum literarum ſtudia, & verbum vitæ tum demum incumbebat unice; non immemor ejus quod in veteri teſtamento legerat in more poſitum fuiſſe antiquitus, ut Pontifices (*Rationale*) in pectore geſtarent, in quo hæc duo verba (*Manifeſtatio & veritas*) eſſent inſcripta, non alia quidem certe ratione (ut ille credebat, & recte) niſi quia in pectore pontificis liquida debeat eſſe, ac manifeſta cognitio veritatis. Interea temporis in eo curſu *Wicamus* apud Regem fuit, ut is etiam ad abſentem literas Senatorias Singulis fere hebdomadis deſtinarit, ac anno Regni ſui quinquageſimo ineunte; Regni comitiis *Weſtmonaſterii* adeſſe juſſerit. In quo quidem honorando cœtu ac celebritate, Rex non *Wicamum* ſolum illuſtri gratia excipit, verum etiam una omnes confratres ejus Epiſcopos, & Clericos in gratiam, ac fidem recepit, adeo ut eodem tempore D. Latimerum, cujus venti antea ſecundi extitere (erat enim is & cubiculo Regio præfectus, & duci *Lancaſtriæ* conjunctiſſimus) Aula ejecerit, omneſque Laicos qui *Lancaſtrenſis* opera, & beneficio, Regiis muneribus (Eccleſiaſtico ordine rejecto) fuerant præpoſiti, nunc tanquam avaros, & infidos adminiſtratores honoribus illis exuerit, & Clericos intra luſtri ſpatium denuo ad hujuſmodi officia, & dignitates revocarit.

Clerici denuo ad functiones Regias infra quinquennium accerſiti ſeclufis laicis.

Ac protinus quidem Cancellarius *Adamus Huttonus*, Theſaurarius *Henricus Wakefildus* creati ſunt. *Johanne Knevoto*, & *Thoma Scroupæo* Laicis (qui eos Magiſtratus prius loco prædæ accepiſſe dicebantur) cum infamia & dedecore exauthoratis, & dignitate dejectis. Quid quod in ipſum *Lancaſtrium* ejuſque

ejuſque Dominatum graviſſima queremonia in Parliamento inſtituta, certi quidam Antiſtites, & optimates ad Regni procurationem (Rege annis oneribuſque confecto) electi ſunt. Deinde ad cumulum miſeriæ illud Quoque Regem, atque adeo omnes ordines ſummo dolore perſtrinxit, quod flos, & decus militaris diſciplinæ, *Edwardus* ille princeps *Walliæ* & *Aquitaniæ* Dux, Regis filius primogenitus, ille vindex libertatis & *Hector* Regni *Angliæ* appellatus; & (ut breviter expediam) ille fortitudine, gloria, & rebus geſtis omnium gentium omnium ſeculorum omnis memoriæ facile princeps, ex hac vita in aliam paulo poſt emigravit. Cujus quidem morte & deſiderio Rex vehementer perculſus, atque proſtratus, belliciſque adeo confractus laboribus, lethali morbo jam cœpit langueſcere. Unde (quo nihil reipublicæ acerbius, aut infœlicius Eccleſiæ evenire potuit) nunc omnia denuo ſunt *Johannis* ducis *Lancaſtrenſis* poteſtati commiſſa, vel potius libidini permiſſa, adeo ut ejus voluntas pro legibus haberetur. Is contra ſacroſanctum, ac laudatiſſimum illud omnium ordinum decretum ſuperioribus comitiis latum, ſolus dominatur, imperat, regnat: primum in Epiſcopos, & in univerſum Cleri nomen, atque in eorum poſſeſſiones, & bona intolerando dominatus impetu veluti decumano fluctu ruit. Inter alios *Wicamum Wintonienſem* Antiſtitem, cujus lumen ſanctitatis alii unice venerabantur, & *Guliel-mum Courtneum* tum temporis Præſulem *Londinenſem* omnium vigilantiſſimum (cujus patrem *Devoniæ* Comitem ferre nunquam poterat) omni injuriarum & contumeliarum genere iniquiſſime proſequitur.

Tho. Walſingam. Froſſardus. Pol. Virgilius & omnes Annales.

Tho. Walſingamus; Codex *Albanus*; deſcriptor vitarum Archiep. *Cant. Jo. Stowus* in Annalibus.

ſequitur. Ita vero in *Wicamum* exarſit, ut quem pro ipſius in Regem, ac Regios liberos ſtudio & liberalitate, beneficio proſequi, pietate colere, veneratione complecti debebat, ejus & virtuti invideret, & dignitatem læderet, & caput, ſalutemque oppugnaret. Atque inter cætera criminationis tela in eum conjecta ſingulari fraude, ei tum actionem repetundarum intendit, tum crimen falſi in ſummo Cancellariatus Magiſtratu admiſſi intulit, & ut omnem aditum illi ad ſe repurgandum præcluderet, eum (Rege inſcio) nomine tamen Regio & Regia manu (ut in omnibus rebus aliis) uſus, diſerte prohibuit ad Viceſimum ab Aula Regia lapidem accedere. Deinde ſubmiſſis ex perditorum numero quadruplatorum deterrimis, qui accuſatorias partes ſuſtinerent, eum indigniſſime comprehendi, & contra jus ſingulare ab optimo patre ſuo Clericis conceſſum in Forum Regium per lictores è veſtigio trahi juſſit. Cum autem Epiſcopus allatas criminationes repellere conaretur, & partim libris rationum bene ac diligenter cuſtoditis, atque adeo ex ipſis tabulis accepti & expenſi in ærario aſſervatis, partim teſtibus incorruptis atque integris, partim acceptilationibus atque apochis Regiis ſuam Judicii innocentiam probaturum ſe profiteretur, ac legitimam temporis dilationem ad ſe defendendum poſtularet, cum convitio rejectus eſt, & ſtatim peſſimo poſt homines natos exemplo condemnatus. Erat hic vir optimus qui ſententiam tulit, non tam Regis quam Ducis Juſtitiarius, & ex ejus libidine Judex datus. Itaque quod turpiter ſuſceperat, impie ac nefarie perficit, eamque in judicando atrocitatem adhibet, ut omnes hereditates

Deſcriptor vitarum Archiepiſcop. *Cant.* in vita *Sudburei.*

Tho. Walſingam an R. 18. *Ed.* 3. Codex *Albanus. Acworthus* ſive deſcriptor vitarum *Cant.* Annales *Stowi.*

Iſte Judex nominabatur *Wilhelmus Skipwith*, unus ex Baronibus Scaccarii. Ex libro *Albano* manuſcripto.

tes pontificias & temporalia (quæ vocantur) Epiſcopatus bona *Wicamo* adimat.

Hic *Lancaſtrius* ut majorem à Rege iniret gratiam, ac popularem auram (cujus captandæ magis erat ſtudioſus quam gnarus fruendæ) hinc acquireret, ſuadere cœpit Regi, ut in *Richardum* nepotem ſuum, *Burdegaliæ* Ceſtriæque Comitem, ad Principatum *Walliæ* (quem pridem illi conceſſerat) ſplendidius ſuſtinendum, illa Epiſcopatus bona conferret. At Rex quum Nepoti ſuo antea penſionem ad quatuor marcarum millia quotannis ſolvi juſſiſſet, non alia certe conditione adduci potuit ut poſtulationi concederet, quam ut illis proventibus pontificiis tanquam Cuſtos & ad voluntatem Regis, & quamdiu in Regia manu remanerent, & in exonerationem illius annuæ penſionis, uteretur.

Ex Recordis Regiis apud *Turrim* de an. 1. *Richardi* 2. claus. 24. Prima parte Paten. an. 1. *Rich.* 2. M. 23.

Quum vero *Lancaſtrius* Regi perſuadere vellet, ut eum tanquam perfidum, & proſcriptum, ac ne vita quidem dignum in exteras terras juberet deportari; Rex qui jam attentius de *Wicamo* cogitaret, menteque longum ſpatium temporis & præteriti reſpiceret, & futuri proſpiceret, reſpondit ſe quid de tanto viro ſtatueret, cujus perſpicaciſſimam prudentiam, & integerrimam fidem jam ante cognoviſſet, accuratius conſiderare velle, nunc tandem ſe intelligere graviſſimas ipſi cum *Wicamo* inimicitias intercedere, ideoque ſe nolle temere ipſi, quamvis filius eſſet, ea ſuper re fidem habere, præſertim adverſus Epiſcopum inſignem in cauſa graviſſima criminaliter & atrociter inſtituta, neque id eſſe majeſtatis Regiæ, atque humanitatis ſuæ. Non ſolum autem illud *Wicamicæ* defenſioni magnum adjumentum attulit,

Vide ſententiam *Skipwithi* de termino *Michaelis* an. R. *Ed.* 50. in qua ne verbum quidem de exilio, neque in pardonatione *Ri.* 2. quæ ipſam ſententiam recitat.

quod Rex eſſet ad tantam æquitatem propenſus, verum etiam quod clariſſimi Regni proceres, iidemque à ſecretioribus conſiliis, *Edmundus* de *Mortuomari* Comes *Martiæ*, *Nicholaus* Comes *Arundelliæ*, *Thomas* de *Bello-Campo* Comes *Warwici*, tria *Angliæ* lumina, tum priſtinæ fidei *Wicami* teſtes graviſſimi, tum futuri illius in Regiis difficultatibus ſubſidii præſtandi, ac repreſentandi, ſi opus eſſet conſponſores extiterunt. Nec ſane obliviſci poterat Rex, quum anno Regni ſui quadrageſimo quinto à cæteris Clericis, quotquot officia, & munera gererent Regia, & in ærariis rationibus hærerent, ratio magiſtratus ac negotii geſti, pecuniæque receptæ repoſceretur, ſolum *Wicamum* (qui plura ac ampliora munera, quam reliqui fere omnes tantillo tempore geſſerat) immunem fuiſſe ab omni criminatione, & (ut eſt in proverbio) extra teli jactum ſtetiſſe. Itaque quum anno Regni ſui quinquageſimo audiret virum talem de Regia pecunia tot ante annis (ut dicebatur) interverſa poſt quinquennalem taciturnitatem accuſari, idque ſe langueſcente, ac dominante *Lancaſtro* ejus inimico, certe calumniam non poterat non odorari, quam homines plerique intelligentes pene oculis ac manibus tenere videbantur.

Tres dinaſtæ & principes Regni expromiſſo es Regi *Edwardo* pro *Wicamo* Epiſcopo prout in prima parte Paten. an. 1. *Rich.* M. 23. plene recitatur.

LIB. I. CAP. 6.

Comitia publica indicta, Rex ſubſidium poſcit, Epiſcopus Londinenſis *petit* Wicamum *ante reſtitui; Archiepiſcopus* Cantuarienſis *nomine totius Cleri pro* Wicamo *apud Regem intercedit: quum Rex videretur annuere, pecuniam a Clero quantam petebat obtinuit.* Wicamo *ingreſſo in Synodum applauditur: paucis poſt diebus* Lancaſtrius *Regni appetendi ſuſpectus eſt:* Wicamus *in gratiam principis, & ad bona, fortunaſque ſuas reſtituitur. Brevi Rex* Edwardus *moritur*; Richardus *ejus nepos hoc nomine ſecundus in Regali ſolio legitime collocatur.*

Lancaſtrii in omnes hereditates pontificias manus injectio.

AD hæc *Lancaſtrius* ardere dolore, nihilque intentatum relinquere, quo tam venerandum patrem deformaret, ſpoliaret, ac peſſundaret. Ac primum in hereditates pontificias Regiam manum injicere, dein clandeſtinis ſuſurrationibus principis ac principum virorum aures occupare, tum etiam novam invidiæ flammam indies tam in illum quam in reliquos etiam ejuſdem ordinis excitare. At *Wicamus* animi excelſi & invicti nixus robore, & in præpotente Deo ſpem ſuam & firmamentum ponens, quicquid humanitus accidere poſſet ſuſque deque tulit.

Illic amplitudo animi ejus eminebat in contemnendis doloribus & injuriis, illic in eo illuxit omnis conſtantia & fortitudo. Nam quum in medium omnium rerum diſcrimen incidiſſet, quumque minas jactarent, ac formidines opponerent ii qui & propter

propter potentiam poſſent, & propter truculentiam vellent nocere plurimum, uſque adeo ut ex ejus neceſſariis & intimis plerique exiſtimarent eum ex illis tempeſtatum fluctibus nunquam emerſurum, tamen omnes invidorum, & malevolorum impetus ingenio, ſolertiaque fregit, & adverſus omne periculum atque invidiam duo ſolummodo præſidia oppoſuit. *Res a ſe geſtas, & ſanam conſcientiam.*

Parliamentum quod vulgo bonum appellabatur; *Lancaſtrius* ſtudet novo Parliamento avertere. *Wicamus* ope *Lancaſtrii* exceptus ex generali pardonatione, ut vocant, ſed à *Ricardo* Rege liberatus, primo die *Junii*, anno Regni ſui primo. Vide ipſam pardonat. tam in Coll. *Oxon.* quam apud turrim de an. primo Reg. *Rich.* 2.

Porro his turbulentis in rebus ſingulare genus fraudis à *Lancaſtrio* ac nova invidiæ ratio excogitata eſt, ut per publica Regni comitia de induſtria nunc ac peſſima fide indicta, leges ſalutares ſuperioris Parliamenti novis ſuffragiis abrogaret, atque ut ex generali criminum abolitione (quam nomine Regio adulatorio tunc animo intendebat) *Wicamum* inter cæteros quos ſtudebat evertere nominatim exciperet. Sed & illud in illis comitiis perficiendum ſibi putavit, ut pecunia ſubſidiaria imperata, tam ſuæ quam Regiæ indigentiæ lacunam expleret. Nam quum ipſe Regis *Caſtellæ* & *Legionum* nomen ac titulum ſuſtineret, tam effuſas largitiones, & immanes ſumptus ſibi eſſe faciendos exiſtimabat, ut principatus ſui patrimonium (licet amplum eſſet, atque copioſum) non ſufficeret. In hac igitur rei nummariæ difficultate ſua, cauſatur fiſci Regii inopiam, hirudines ærarii, neſcio quas; illud certe valde probabiliter, tot ac tantis bellis pecuniam Regiam, ac publicam exhauſtam eſſe: hanc init rationem, hoc conſilium innumerabilis pecuniæ conficiendæ. Ac ſane Epiſcopos imprimis alioſque Eccleſiaſticos ſperabat ſe multis nummorum millibus emuncturum. Coacto igitur *Londini* quindena Hilarii anno Regni *Edwardi*

ward 51. conventu honorario, illico nuntii Regii ad Comitium in æde Paulina accedunt, Gallici belli diuturnitatem, & illuſtrium victoriarum gloriam illic partam commemorant, veterem hoſtem iterum novas inſidias ſtruere, Regem propter anguſtias ærarii in magno diſcrimine verſari; itaque & tempus & neceſſitatem, & præſtantia Regis in ſubditos univerſos promerita, ampliſſimam ab illis opem, & ſubſidium pecuniarium ad neceſſarias impenſas belli poſtulare, nec poſtulare ſolum, verum etiam flagitare: nec Regi nec Regno ſatis proſpectum iri, niſi ea in re quam celerrime ſuccurratur, ſibique à Regia majeſtate mandatum eſſe ut hæc omnia ad eos quam primum referant. Quum illi finita Oratione diſceſſiſſent, *Gulielmus Courtneus Londinenſis* Epiſcopus cum generis nobilitate, tum eruditionis & prudentiæ laude inſignis, ſtatim ſurrexit, & in media corona affirmavit quam plurimas tum ſibi tum confratri ſuo cum primis venerando domino Epiſcopo *Wintonienſi* injurias Regio nomine illatas eſſe, de quibus ſingulis querelam tunc in ſcriptis exhibuit Synodo, petiitque obnixe, ut ne teruntius quidem Regi concederetur, antequam pro illis injuriis ſatisfieret, præſertim antequam illud infame judicium, quod opprimendi innocentis Pontificis ſtudio nuper factum erat ad memoriam ſempiternam turpitudinis, autoritate Regia reſcinderetur. Alii præterea cupiebant atque inſtabant ut *Sudbureus Cantuarienſis* Archiepiſcopus (erat ille quidem ex *Sudbureo* oppido in *Sudovolcia* oriundus, & ex generoſa, & antiqua *Tiboldorum* ſtirpe) literas ad *Wicamum* mandatorias mitteret ut in conſilium accederet. Illum enim eſſe

Ex codice *Albano.*

unum ex membris ejus domus Synodalis, & corporis politici præcipuis, nec ſe ejus ingenio, conſilio, & prudentia ſingulari ſine gravi damno ac detrimento Eccleſiæ carere poſſe: Cum contra *Sudbureus* diceret eum à præſentia Regis excluſum eſſe, eoque nomine ad hunc honorandum cœtum minime accitum fuiſſe, ſibique præterea non conſtare an illi in illa principis indignatione ſuffragium ferre, alioſque actus Synodales explicare fas eſſet. Vicit quidem (his non obſtantibus) conſtans unaque omnium opinio, ut Archiepiſcopus Regem adiret, & non ſolum pro *Wicami* reſtitutione totius Cleri nomine intercederet, verum etiam illum in proximo conventu Synodali præſentem ſiſteret. Etenim tam vehementi omnes in *Wicamum* benevolentiæ ardore erant inflammati, ut quod huic criminoſum, hoc ſibi invidioſum; & quod moleſtum uni, id ſupplicium omnibus videretur. *Sudbureus* vero die comitiali prorogato quamprimum Regem conſulit, Cleri offenſionem ac poſtulata officioſe narrat, ut Epiſcopus *Winton.* reſtituatur, ſuppliciter ac demiſſe nomine totius Synodi petit. Rex ita reſpondit ut Archiepiſcopum bonam in ſpem adduceret ſe *Wicamum* omni non ſolum crimine, verum etiam criminis ſuſpicione liberaturum. Hac ſpe Archiepiſcopus honorati ordinis animos erigens, ſubſidium ab illis pecuniarium, quantum Rex petebat, illico obtinuit: *Wicamus* interim per literas Metropolitæ ſui ad illam honorariam celebritatem evocatus, nullam interponebat moram quin ei morem gereret, ſed metu *Lancaſtrii* ducis deviis itineribus ac parvo comitatu (aliter quam ejus erat mos) *Londinum* ingreſſus eſt, poſtero die in frequentiſſimo

tiſſimo omnium ordinum conventu undique illi aſſurgentium honorifice acceptus, per duos reverendos patres ad ſedem Archiepiſcopis & Præſuli *Londinenſi* proximam deductus eſt, unde ad reverendiſſimos patres primum, deinde ad reliquum conceſſum cœtumque lectiſſimum oculos ſuos circumquaque conjiciens, ſic eos affatus eſſe dicitur.

Gratias primum Deo immortali, qui me per has tribulationes in ſuorum numerum aggregavit, & ago, & habeo immortales; deinde vobis (confratres chariſſimi) qui mihi tanto ſtudio, ac ſolicitudine pro ſalute mea triſtiſſimo meo tempore adfuiſtis, adeoque me vobis obſtrictum teneri video memoria beneficii ſempiterna, ut nullam partem veſtrorum in me meritorum non modo referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia me conſequi poſſe intelligam. Quod autem ad criminationem contra me inſtitutam attinet, vos omnes cura & metu libero; excutiant me quantum libet, exquirant, inveſtigent, exagitent omnes rationes meas. Si affinem criminis illati, ſi fraudis aut doli unquam in ulla adminiſtratione me conſcium fuiſſe deprehenderint, cauſæ nihil dico quin omnia in me flagitia & ſcelera accumulent, quæ contra hominem improbiſſimum, ac perditiſſimum dici, aut fingi poſſunt. Eſſe infœlicem eſt fortunæ, at eſſe fallacem improbitatis eſt; malim me decies infortunatum quam ſemel improbum judicari. Quanquam (ut dicam aperte quod res eſt) non tam me petunt, quam mea, nec mea tantum, ſed veſtra, ac omnium noſtrum bona atque adeo Eccleſiæ univerſæ ſpoliationem, direptionemque affectant, venantur, aucupantur. Fuit, fuit certe hoc

vel meum, vel Reipublicæ fatum ut me primum peterent, & in me omnis illa inclinatio communium temporum hoc tempore incumberet, quando ſuperioribus invidetur, digniores faſtidiuntur, ac religio flocci penditur. Illud vero graviſſimum, atque indigniſſimum eſt, quod proceres quoque ac principes Regni quaſi claſſicum (ut videtis) contra nos canunt, habentque etiam ſuos pſeudoprophetas, quibus Eccleſiæ pacem turbare pro ludo eſt.

Quid igitur eſt, quod nos ſperemus? Quis reliquus perfugio locus? niſi ut propius noſmetipſos cum Deo noſtro conjungamus, & quo minus ſpei humanæ affulget, eo magis divino præſidio innitamur, neque caſu aut fortuito hoc nobis accidere, ſed conſilio cœleſti evenire cogitemus. Hæc enim eſt vera pietatis regula, ſolam Dei manum utriuſque fortunæ arbitram eſſe ac moderatricem. Quod autem tam diu hanc cladem, & exitium evaſerimus, optimi principis noſtri pietati, ac providentiæ ſingulari proxime & ſecundum Deum, eſt aſcribendum. Quis enim neſcit ſparſa eſſe per univerſum Regnum multa diſſentionis ſemina, quæ tametſi ad tempus tegerentur, erant tamen brevi eruptura niſi Rex in herbis illa enecaſſet. Nunc videtis in quæ tempora incideri-mus, Rex (proxima poſt deum ſpei anchora) bellis, morbis, atque ætate (proh dolor) confectus langueſcit indies, princeps Regno proximus quamvis optimæ ſpei, tamen teneræ ætatis eſt. Tempora futura quis certo noverit? mihi quidem certe turbulenta videntur fore. Proterva (ne dicam inſana) plebs ſi ſcelerum impunitate atque odio in Eccleſiam armetur, quid aliud expectare poſſumus quam bonarum

literarum

literarum occaſum & interitum, deinde dejectionem Cleri, & Orthodoxæ religionis diſſipationem brevi ſecuturam, ad quam optatam metam ſi pervenerint (credite mihi) non modo legum contemptio, verum etiam nobilitatis, ac principatus everſio, omniſque ſocietatis, & Reipublicæ, ordinumque confuſio. & perturbatio procul dubio conſequetur. Deus tantam calamitatem ab hoc illuſtriſſimo Regno avertat, & faxit precor ut ſim vanus vates.

Verum enimvero tanquam id mali in ſortibus, ac ſingulis horis noſtris impendeat cervicibus, diligentiſſime nobis eſt cavendum, & non Aulico faſtu, ſed Evangelico ritu, non ut adverſarii ſolent in ſublimitate ſpiritus, ſed ut diſcipulos Chriſti decet in diſciplina crucis vivendum eſt. Ita enim glorificabimur cum Chriſto, ſi tamen cum eo patiemur; apud quem ſi has injurias deponemus, ultor erit, ſi adflictiones, medicus erit, ſi mortem, reſuſcitator erit. Illi igitur ſoli gloriam, ejus ſponſæ pacem, Regno in quo vivimus incolumitatem in omnem æternitatem exoptemus.

Hic Archiepiſcopus nomine omnium gravem atque prudentem *Wicami* orationem laudat, ſimulque pollicetur non ſolum omni ſtudio, ac diligentia ſe ejus cauſam apud principem acturum, verum etiam (Deo favente) operam daturum ne ea quæ ipſe ſagaciſſime vaticinatus eſſet, ſerperent longius in perniciem Eccleſiæ eruptura; deinde ad alios actus Synodales explicandos ſe adcinxit. Per id tempus *Lancaſtrenſis* (ut erat vir ambitionis plenus) vehementiſſima Regni appetendi ſuſpicione & invidia laborabat. Suſpicioni autem crimen, & invidiæ materiam Cronicon *Albanum.*

riam dediſſe videbatur quod cum Equitibus & Burgenſibus Parliamenti occulte egiſſet, ut legem Salicam in Gallia uſurpatam imitati, legem ſimilem conderent, quæ fœminas à ſucceſſione Regni in *Anglia* excluderet. Hæc machinatio in tantam invidiam, & odium apud omnes ordines eum adduxiſſe fertur, ut etiam ad Regis aures (qui in ſenili ætate credulus, & ſuſpicionibus paulo indulgentior eſſe cœpit) fama illius callidæ molitionis pervenerit. Hinc Rex in concione ad liberos & proceres Regni habita, palam ac aperte declaravit *Richardum*, ſuum ex filio vita defuncto Nepotem, eſſe eum ad quem à morte ſua ſumma rerum pertineret, ſuaſitque ut hunc honore velut ſubditi Regem, amore velut filii patrem poſt obitum ſuum proſequerentur & colerent. Ipſe etiam hunc Nepotem ſuum ita honorifice adhibuit, ut maxima omnium ordinum corona, & celebritate eum ad ſtatas & ſolennes epulas ſibi aſſidere, ſuoſque liberos, & in his cum primis *Lancaſtriæ* ducem ad menſam conſiſtere, omneque obſequium præſtare vellet. Itaque poſt hujuſmodi (ut diximus) ſcrupulum injectum paulo alienior deinceps à filio *Lancaſtrio* pater nonnullis videbatur.

Quæ res *Wicami* cauſam dici non poteſt quantum promoverit apud Regem, quum is jam non ſuis ſolum virtutibus, ſed alienis etiam vitiis hac occaſione apud principem eſſet ornatus, & capitali ejus inimico jam major ſui purgandi, quam illum accuſandi cura incumberet. Itaque *Wicamus* non ſolum in priſtinam gratiam apud principem ſuum, verum ad poſſeſſiones temporales, & omnes ſuos reditus profanos in integrum reſtitutus eſt. Cæterum (proh dolor)

Cui adſtipulatur per omnia deſcriptor vitarum Archiep. *Cant.* & *Johan. Stowus* in Annal.

Polidorus Virgil. in Hiſtoria *Anglicana.*

Idem *Polid. Virg.* Cronicon *Albanum*, *Achworthus* in vita *Sudburei*, Annales *Stowi*, literæ ipſius *E.* 3. ad *Rich.* principem *Walliæ* quæ extant apud turrim *Londini*. clauſ. an. 51. *Ed.* 3. & iterum in prima parte paten. de an. 1. R. 2. M. 23. in quibus fatetur bona prædicta fuiſſe ab *Ed.* R. præfato Epiſcopo reſtituta.

dolor) dum hæc agerentur, de ſalute & vita Regis cœpit dubitari. Paucis autem poſt diebus (neque enim res tanti momenti diu diſſimulari potuit) conſtanti fama atque omnium ſermone celebratur, *Edwardum* Regem, Regem inquam optimum & ad *Galliam* ſubjugandam natum, ac plane parentem patriæ ex hominum vita ad ſuperos emigraſſe. Ad cujus quidem intempeſtivæ mortis triſtiſſimum nuntium ita omnes erant repentino mœrore perculſi & conſternati, nemo ut eſſet qui non ſibi privatim magnum inde vulnus inflictum eſſe ſentiret, & in Republica perturbationem ſtatus & inclinationem communium temporum extimeſceret. Cui malo ut quam primum occurreretur in locum Regis defuncti Nepos illius *Richardus* (quem à loco originis *Burdegalenſem* nominarant) confeſtim ſurrogatur, & legitima ſucceſſione atque unanimi omnium conſenſu ſceptro potitur anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, & ætatis ſuæ Undecimo.

Richardus Burdegalenſis hoc nomine ſecundus fit Rex.

Liber

Liber Secundus CAP. I.

JAM Regis *Edwardi* morte *Wicamus* ſe in perpetuum tam Aulicis curis, quam forenſibus turbis defunctum ſperabat, quum ecce poſt *Zephyros* juſtæ ſpei, ac ſummæ tranquillitatis (ut videbatur) turbidi Noti ex tranſverſo ruunt, & alia tempeſtas aliam excipit. Pauci enim menſes interceſſerant, quum veterum quadruplatorum infamis turba novam invidiæ flammam incendunt, ac ſceleratiſſima conſpiratione libellos accuſatorios tum priſtinis mendaciis, tum novis calumniis pleniſſime refertos, contra hunc tam venerandum patrem ac tanta rerum geſtarum gloria circumfluentem, ad ſanctum auguſtumque concilium, ad principem concilii *Lancaſtrium*, ad ipſam denique Regiam majeſtatem deferunt. Nec deerant in hac flamma rerum quidem alii incendiarii moleſtiarum ex *Latimeri*, *Percei*, & aliorum comitatu, ac Stipatione, qui partim ut dominis ſuis turpiter inſervirent, partim ut res ſuas auctiores facerent, communicatis conſiliis enixe ſtudebant hunc Antiſtitem, quamvis inſontem & extra crimen, in diſcrimen adducere, & bonis omnibus atque fortunis ſpoliare. Hi accuſationem atrociſſimam inſtituunt, cujus capita, & quaſi cornua ſeptem eſſe video, quibus eum conantur de omni ſtatu dejicere.

Accuſati-

Accuſationis Caput Primum.

Quum in Regiis pecuniis diſpenſandis toto illo octennio Wicamus, *quo inter noſtrum & Gallorum Regem pax vigebat, ampliſſimam haberet poteſtatem, adeo ut abſque ejus mandato, vel ſaltem conſenſu in ærario nummus nullus moveretur, is vel dedita opera, vel (ut nihil dicatur gravius) incuria ſua Theſaurum illum univerſum diſſipavit. Quamvis enim per id temporis intervallum* Simon Langamus *nuper Archiepiſcopus* Cantuarienſis, *&* Johannes Barnettus *Epiſcopus* Elienſis *nomen & dignitatem Theſaurarii* Angliæ *gererent, tamen penes* Wicamum *ſolum de nummis Regiis diſponendi ſumma poteſtas fuit, adeo ut is de omnibus proventibus Regis* Edwardi *tam citra quam ultra mare una cum omnibus ſubſidiis* Angliæ *magnis & parvis, & argento recepto haberet abſolutam adminiſtrandi poteſtatem. Atque hic etiam præter redemptiones duorum Regum* Franciæ *&* Scotiæ, *& præter illam quam* Burgundiæ *Incolæ ut patriam ab incendio & direptione militari liberarent, ultro obtulere, a Domino* Galeatio Mediolanenſi *duce centum millia* Francorum *percepit. Quæ quidem recepta per octo annos, nempe a* 26. *die* Novembris *anno* Edvardi 35. *uſque ad annum Regni ejuſdem* 43. *coacervata efficiunt ſummam undecies centies millium novem millium, & ſexcentarum librarum. Atque hanc tam ingentem, & infinitam pecuniam recepit iſte. Sed quum poſt decennalem pacem ſecundum bellum de repente nos perculiſſet, præter omnium ſpem fiſcus*

exhauſtus, ærarium inops plane & exinanitum reperitur. Quod in cauſa fuit ut Rex noſter pecunia, belli nervis deſtitutus, non ſolum in Gallia plurimum damni faceret; ſed & in Anglia, *quo creſcenti malo occurreret, a ſubditis undiquaque corradere, eoſque ſumma famæ & exiſtimationis ſuæ jactura, exactionibus exinanire cogeretur.*

Reſponſio Epiſcopi ad primam Criminationem.

QUod ad primam Criminationem attinet, equidem longe, longeque plurimum fateor me debere principi meo, qui tanto me honore dignatus ſit, quantum ego non modo non promereri, ſed ne ſperare, imo ne optare quidem poſſem. At quod mihi de univerſis reditibus, & bonis Regiis iſti poſtremi homines, idque per integrum octennii curriculum diſponendi, & adminiſtrandi poteſtatem tribuunt, hoc quam ſit à vero alienum vos qui eſtis judices optarim eſſe teſtes.

Habebat Rex alios (quod nemo veſtrum ignorare poteſt) nec iſti (ut videtis) inficiantur, theſaurarios, *Simonem Langamum*, & poſt eum, *Johannem Barnettum*, & ſub iis Proquæſtores, & ærarii tribunos. In quorum rationes inſpiciendi, ac pecuniam alioquin fallacem, forte ac fugitivam, ad uſus Regios retinendi, ac pro virili repræſentandi, fateor equidem mihi ſæpius (prout res exigebat) datam fuiſſe à Rege facultatem. Verum ſi tum illis pecuniis ſine mandato principis me immiſcuerim, aut fines mandati fuerim egreſſus, vel unus nummus ex ſacratiore ærario apud me hæreat, vel non conveniant

ant rationes accepti & expenſi, vel denique ſi (quod ad Theſaurum Regium attinet) quicquam mea vel incuria contemptum, vel ſcelere pollutum oſtendi poſſit, cauſam non dico, quin dignas pœnas luam, non deprecatione aut gratia minuendas, ſed ſummo cruciatu ac ſupplicio ad ſempiternam mei nominis infamiam vindicandas. At vero quia hæc non ſufficiunt, ſed ego unus ſum cui litem intendunt, & à quo aliorum rationes contra jus faſque poſtulant, morem illis ad tempus geram, & quaſi ego Quæſtor fuiſſem intentatum crimen (favente Deo) ſtudebo repellere. Quod ut faciam, quæſo ut me, dum ſingula paulo fuſius expono, benigne attenteque audiatis.

David Bruſius Scotorum Rex invicta manu Regis noſtri captus in prælio, quum decennio plus minus captivus remanſiſſet, eo quod pretium redemptionis ad centum aureorum millia æſtimatum Scoti ſolvere recuſarent, ipſeque propriis vectigalibus in ſumptus belli antea exhauſtis minime ſolvendo eſſet, tandem importunis *Johannæ* uxoris ſuæ, quæ ſoror *Edwardi* Regis noſtri erat, precibus impetravit, ut depenſis intra decennium decem aureorum millibus in Regnum reſtitueretur, datique ſunt aliquot ex nobilibus *Scotiæ* viris obſides qui in Regia poteſtate forent, donec depenſo auro fidem liberaſſet. Quod autem ad pecuniam attinet quæ ex *Gallia* & *Burgundia* erat expectanda, ſic ſe res habet. Quum *Johannes Valeſius Galliarum* Rex apud *Pictones* à Principe *Walliæ* glorioſiſſime captus, & per quadriennium in cuſtodia Regis noſtri detentus ab ipſis Regni ſui optimatibus (quibus interim rerum ſum-

David Bruſius Scotorum Rex captus ab *Ed.* Rege in prælio an. R. ejuſdem 20. 10 annos in Caſtro de *Odikam* in Comit. *Southamton.* captivus remanſit: deinde datis obſidibus de 10. aureorum millibus decenni curriculo exſolvendis diſmiſſus eſt. Hæc *Johanna* appellabatur *Johanna* pacifica. anglice, *Make peace.* *Polidorus Virgilius* in Hiſtoria *Angliæ* contra cæteros Hiſtoricos.

ma erat delata) pene deſertus eſſet, adeo ut formulæ pacis *Londini* à *Galliarum* Rege atque duce *Burbonio* conſignatæ, à *Carolo Delphino* atque tribus ordinibus *Lutetiæ* non minus ingrate quam ſuperbe reſpuerentur, Rex noſter invicto exercitu conſcripto, ac tali, qualem certe nemo unquam ex *Anglia* prodeuntem vidit ad frangendum *Gallicum* faſtum in *Galliam* trajecit: ac primo Attebates adortus eſt, illiſque intra triduum devictis Remos petiit. Deinde in Campaniam pergens mox *Nivernenſes*, atque *Senonenſes* in poteſtatem ſuam redegit, ac poſtea ad inferiorem *Burgundiam* (quæ ad *Gallum* ſpectabat) contendens, à ſummo ejus Ducatus Cancellario & principibus viris, ut eam ditionem milite liberaret, & inducias triennales concederet, centena aureorum millia adeptus eſt.

Tho. Walſingam Pol. Virgilius Froſſardus.

Quam quidem legem reliqui *Galliæ* principes quamvis inviti, tandem ſuo magno malo edocti ſubiere, ita ut præter alias conditiones ex voto noſtro ſuſceptas, tricies centena francorum millia, hoc eſt, noſtratis pecuniæ ſeptingenta & quinquaginta millia marcarum, certis diebus ad id conſtitutis numerarent. De eo quod quarto loco objiciunt, credo equidem vel pecuniam illam Mediolanenſem Domino *Leonello* Regis filio dotis nomine eſſe annumeratam, vel ſi Regi ipſi perſoluta ſit, tantundem ab eo, aut non multo minus, in illos ſumptus magnificos & apparatus ſplendidos, cum idem *Leonellus* iter in *Italiam* faceret, ſuppeditatum fuiſſe. Hæ fuerunt quatuor pecuniarum peregrinarum ſummæ, quas iſti calumniantur mea vel fraude, vel incuria exhauſtas, diſſipatas, perditas.

Vide Annales *Mediolanenſes* & *Lombardicos.*

At

At quam inique de me conqueruntur, ad quem ne teruncius quidem ex his pervenit? Ac certe horum nummorum pars maxima ne in ærarium quidem illata eſt. Nam ex illo *Scotico* debito quatuor aureorum millia jam antea exoluta, & in Structura Caſtri *Windeſoriæ* ante annum illum Regni *Edwardi* triceſimum quintum (à quo tempore iſti mihi dicam imponunt) conſumpta ſunt. Reliqua vero ſex aureorum millia ad Regium fiſcum integra nunquam pervenerunt. Illud certo ſcio Regem in ſumptus funerum *Iſabellæ* matris ſuæ Reginæ noſtræ, & *Johannæ* ſororis ſuæ Reginæ *Scotiæ* plus expendiſſe quam illud reſiduum *Scotici* debiti erat; ut taceam immanes pecuniarum ſummas quas in cohoneſtando funere *Johannis Valeſii* Regis *Galliarum Anglia* defuncti profudit. Cujus & exequias in pleriſque partibus hujus imperii celebrari, & corpus magna Epiſcoporum & optimatum Regni multitudine comitatum, *Doverniam* uſque pompa Regali curavit deportari, ut inde in *Gallias* evectum in mauſoleo Sancti *Dionyſii* honorificentiſſime ſepeliretur. Quod ad *Burgundicam* pecuniam attinet, quam Rex ut exercitum ſuum illinc educeret ſibi numerari & repræſentari voluit, tantum abeſt ut unquam in ærario reconderetur, ut eam inter nobiles *Alemaniæ, Bohemiæ, Brabantiæ, Flandriæ,* & *Hanoniæ,* qui cum auxiliaribus copiis Regis adventum Caleti ad aliquot menſes præſtolabantur, atque idcirco ære alieno ſupra quam dici poteſt demerſi erant, Rex illico diſtribui juſſerit: quæ certe ratio eum unice movit, quamvis alioquin ad comitatem propenſiſſimum ut proceribus *Burgundiæ* uſuram longioris temporis ad

Annales noſtrates.

Froſſardus & alii (viz.) *Walſingam* & *Pol. Virgilius.*

ſolvendum obnixe deprecantibus reſponderit, ſe non aurita ſed oculata fide uti velle. De Gallicis pecuniis auſim dicere, nunquam eas ſemi-ſolutas extitiſſe. Nam (niſi mea me Arithmetica valde fallit) ex ſemiſſe, viginti francorum millia etiam ad hodiernum uſque diem defuerunt. Cujus rei quod certius argumentum eſſe poteſt, quam quod ſuperioribus comitiis *Brugis* inter Regem noſtrum & *Carolum* quintum ad pacem conſtituendam habitis, in quibus tu (Rex Caſtellæ & Legionum illuſtriſſime) principes partes tenebas, non aliter pax illa (ut optime noſti) coire potuit, niſi Gallis duo iniquiſſima poſtulata concederetis: primum, ut omnes illæ pecuniarum ſummæ pro redemptione ſui Regis in *Angliam* importatæ (quas illi tunc temporis, hoc eſt, ſeptennio poſt bellum renovatum, non niſi ad 14. centena francorum millia æſtimabant) à noſtris reſtituerentur. Deinde ut Calete oppidum, quod illis tam grave vulnus inflixerat, ſolo æquaretur. De reliquis pecuniarum ſummis partim ex portoriis, & vectigalibus (quæ iſti ſubſidia vocant) partim ex aliis proventibus, & acceſſionibus tam cis mare quam trans mare corrogatis, eſto, in ærarium fuerint reconditæ. Verum ſi quis accuratius conſideret, & altius perpendat quæ vis auri & argenti per hos annos profuſa ſit, & ex Quæſtorio (ut dicitur) evolarit, an non permirum videatur proventus illos omnes, & quæcunque fuerint, accretiones ab impendiis Regiis infinitis partibus non ſuperari? Nam ut ab eo tempore, quo illa compoſitio cum Gallo Caletis inita eſt, exordiar, an pace continua fruebamur? An non bellum *Britannicum*, ac deinde *Hiſpanicum* ſubſequutum eſt? Quæ tam

Johannes Stowus & alii Annales.

tam inflammato ſtudio, & tanta acerbitate gerebantur ut tam Regis noſtri, quam ducis Aquitaniæ rationes omnes conturbarint, arcaſque exhauſerint? Et quid, quæſo, iſti in ærario, antequam pax illa ſtabilita eſt, conſpexerant? quid theſauri domi, quid debiti foris audierant? Magnas fateor, ac pene incredibiles victorias ſingulari Dei beneficio Rex ad nominis ſui gloriam ſempiternam conſecutus eſt. At quid? num ſimulatque imperator victoria potitus eſt, illico ære alieno ſolutus eſt? vos optime intelligitis (viri graviſſimi) etiamſi ego tacerem, quemadmodum perpetuis fere bellis per hoſce triginta annos theſaurus Regius ita conſumptus fuerit, & exinanitus, ut Rex ſubinde verſuram faceret, & de itione vix ſeris nepotibus luenda torqueretur.

Nunc ſi à bellicis impendiis ad immenſos Regis ſumptus quos ille in largitionibus & muneribus, in finibus tuendis, in arcibus ac munitionibus conſtruendis, in Baſilicis ac Caſtris ædificandis, in Collegiis ac Xenodochiis fundandis effudit, deſcenderem, ſane Craſſi Cræſique opes ad ea tam magnifice ac regaliter præſtanda vix ſufficere poſſe viderentur. Nam ut à largitionibus & munificentia Regis incipiam, ubi ille terrarum pedem unquam poſuit, quin ſummæ liberalitatis ac Regalis munificentiæ veſtigia impreſſa reliquerit? In exercitu, aut comitatu ipſius quis unquam fuit, nedum plurimarum palmarum homo, ſed qui vel aliqua unquam laude & gloria rei militaris excelluit, quem ille non amplis muneribus auxerit, & honeſtarit? Annuam penſionem habebant alii ducentorum, & alii quingentorum, alii mille aureorum, & amplius ex portorio, & vectigalibus

Froſſardus. libus fideliter perſolutam. Taceo octo marcarum millia penſionis annuæ nomine, quatuor ex iis qui erant *Johanni* Galliarum Regi à cubiculis ex ærario integre depenſa. Non commemoro nec illa quadringenta marcarum millia, quæ Rex illuſtriſſimo Domino à *Cowey* genero ſuo ex Quæſtorio quotannis elargitus eſt. Prætereo annuum redditum mille marcarum, quem, quum *Bedfordiæ* Comes à Rege creatus eſſet, ſibi & hæredibus maſculis ex ærario obtinuit.

Quid narrem incredibiles illos ſumptus, & apparatus Regios in regaliter accipiendis illis tribus Regibus *Galliæ*, *Cypri*, & *Scotiæ*? Quot aureorum millia creditis erogata, dum illi apud Regem ſimul, non ſemel diverſabantur; vel quum *Galli*, *Hiſpani*, *Cypri*, & *Armenii* principes, ac nobiles viri partim ad eum viſendum, partim ad opem ab ipſo contra Chriſtiani nominis hoſtes implorandam tanto terrarum tractu ſuperato, infinitiſque ſumptibus impenſis in *Angliam* appulerint, & Equeſtria certamina, haſtiludia, & omne genus militarium exercitiorum tractarint, quatuor Regibus, & *Philippa* Regina, omnium illuſtrium fœminarum præſtantiſſima, inſpectantibus? Quid dicam de adventu Regis *Navarræ*? quid etiam de Comitis *Flandriæ* acceſſu in *Angliam*? nihilne illi nummorum ex ærario detrahebant, dum illum Rex noſter in Caſtello *Clarendonio* more regio acciperet, & ad *Caroli Gallorum* Regis partes inclinantem ampliſſimis muneribus ad ſe retrahere ſtuderet; hunc vero *Dorveniæ* honore ut principem, amore ut fratrem proſequeretur? Hujus enim filiam unicam & hæredem filio ſuo *Cantabrigiæ* Comiti vehementer cupiebat

Froſſardus. Pol. Virg.

cupiebat uxorem dari. Quot millia impenſa tum in nuptialibus epulis, & pompis liberorum Regis, tum *Vindeſoriæ* in conviviis ejus natalitiis, ac *Georgianis* feſtis ſæpius celebratis? Quot millia anno nativitatis ſuæ quinquageſimo effudit Rex, quum ad exemplum veteris Jubilei (quod quinquageſimo quoque anno Chriſtianis celebre erat) exleges & proſcriptos revocavit, captivos ex carcere liberavit, perduellibus, ac læſæ majeſtatis reis veniam & immunitatem dedit, quum torques, monilia, redimicula aurea, equos phaleratos, aliaque dona pretioſiſſima elargitus eſt? poſtremo quantam pecuniam per illud tempus octennii in exteris Regionibus, puta ad Arces munitioneſque tuendas in Comitatu *Pontino*, & ad firmiora præſidia juxta Galliæ fines undique collocanda inſumpſit? Certe ego ex libris rationum per officiarios Regios huc tranſmiſſis intellexi, ultra omnes reditus & incrementa centum francorum millia annuatim expenſa eſſe. Venio nunc ad ſumptuoſas illas *Baſilicarum*, Caſtrorum, Eccleſiarum, & inſignium in hoc Regno ſtructurarum fabricationes, ac fundationes Regias, quæ ſolæ ſine aliis impendiis pleniſſimas arcas exhaurire potuiſſent. Nam ſimul ac *Gallus* Regem noſtrum in ſpem pecuniæ pro ſua redemptione adduxiſſet, è veſtigio, quamvis ſpe illa biennium & amplius fruſtratus, vetus Caſtrum *Windeſoriæ* anno Regni ſui 32. & 33. nova & elegantiore forma à fundamentis extrui curavit, & Collegio inſigni Canonicorum auxit, & perpolivit, præclaris Maneriis ad annuum vectigal 655*l*---- 5*s* perquiſitis. Deinde à Marte ad *Minervam* converſus, primus omnium Regum Muſas & Gratias in floren-

tiſſima Academia *Cantabrigienſi* honoravit, & Aulam ibi Regalem ſalutaribus legibus fundavit, & fructuoſis latifundiis ad annuum valorem ..... librarum excreſcentibus locupletavit. Aliud mox Collegium ſive Capellam divi *Stephani* protomartyris juxta Regiam *Baſilicam Weſtmonaſterii* conſtruxit & redditus annuos ad ..... marcas æſtimatos comparavit. Prætereo illa duo præclara Cœnobia, alterum ad turrim *Londin.* (Monaſterium *Mariæ de la grace* vocant) alteram Abbatiam *Dertfordiæ*, quæ & propriis ſumptibus à fundamentis ædificavit, & annua obventione mille librarum locupletavit.

Quid dicam de *Quinborei* Caſtro ejus ſumptibus ſimiliter in *Cantio* (ne Commeatus, & nummi exportarentur) extructo? Quid de ſingulari Naufrago-trophio ab eodem *Caletis* in uſum Naufragorum ædificato (quam nos domum Dei, Galli *Maiſon dieu* vocant) cujus ſtructura, & incrementa annua Regi 12 librarum millibus conſtiterunt? Atque iſti tam profuſi, & infiniti ſumptus adverſarios noſtros latere non poterant, quum eſſent perinſignes, magnaque ex parte omnium oculis expoſiti, & idcirco quo magnitudinem impenſarum proventuum incremento ſuperarent, non jam amplius octennio (ut in criminationis exordio aſſerunt) ſed (obliti proverbii quo dicitur, mendaces memores eſſe oportere) decennii ſpatium pacem Gallicam perduraſſe aiunt; quod quidem in tam honorando cœtu miror qua fronte, aut quo ore prædicare auſint; quum dies fœderis inter nos obſignati fuerit vigeſimus quartus menſis Octobris, Anno Chriſti 1360. Gallus autem die tertio Decembris anno 1368. bellum denuntiarit. A quo tempore

tempore Rex Galliæ habito cum fratribus ſuis *Andegavi, Biturigum*, & *Burgundiæ* ducibus conſilio, nullum tempus nedum biennio, ſed nec quinquennio intermittebat, quum ad omnes oras à noſtris occupatas copias mitteret, adeo ut Comitatum *Pontini* ceperit, *Pictavienſem* agrum, & oppida exuſſerit, principem *Aquitaniæ* contra expreſſam formulam pacis, ac fidem præſtitam ad Senatum *Pariſienſem* citarit, qui viciſſim (ſi ita Rex urgeret) ſe cum galea capitis impoſita, & ſexaginta millibus Comitatum venturum eſſe reſpondit. Atque è veſtigio partium ſuarum non immemor militem undecunque collegit. *Froſſardus & Hiſtoriæ Aquitanicæ.*

Nec ei defuere duo illuſtriſſimi fratres, *Cantabrigiæ* & *Pembroki* e Comites, qui à patre cum expeditis copiis in *Aquitaniam* ſubſidio miſſi, in Comitatum *Petragoricenſem* in terras poſſeſſioneſque Comitis *Armeniaci*, & Domini *Dalberti*, omniumque qui belli occaſionem dederant, incurſiones fecerunt, Arces, & Caſtra proſtraverunt, ipſamque adeo ducis *Borboniæ* matrem (quæ Regis Galliæ quoque mater erat) in Caſtello *Belliperchenſi* ceperunt. Ad hæc quum Gallus maximam vim navium extrueret miſſurus *Philippum Burgundiæ* ducem fratrem ſuum cum ſuperbiſſimis copiis ut in hoc Regno bellum gereret. An non eo tempore tu *Lancaſtriæ* heros, illos cum ſelecto milite antevertens in fugam conjeciſti? & par pari referens omnia in *Picardia* vaſtaſti, ac deinde in complures alias provincias irruens, incendiis & militum arbitrio urbes, & oppida ſubjeciſti? Quid? quum dux *Biturigum* cum *Borbonio* & *Alenconio*, novo exercitu conſcripto, *Læmovicenſem* agrum invaderent, & dux *Andegavenſis* co- *Froſſardus.*

piis ſuis *Toloſa* eductis plurima præſidia, & oppida noſtræ ditionis proditione verius, quam virtute caperet, cumque illi perfidi ſubditi una cum *Galliæ* militibus à noſtris viciſſim ſalutarentur, omniaque tam inditione *Lemovicenſi*, quam *Andegavenſi* ultricibus perfidiæ flammis, & incendiis conflagrarent, ac per inflammatam militum rabiem miſerabilis ſtrages conſequeretur. An iſti pacem appellant? atque talem pacem ut ærarium interim Regium nummis circumflueret, nec interea temporis magnum pondus auri ex publicis exactionibus cogeretur?

Atque plus quam octoginta marcarum millia in iſta fictitia, & ementita pace profuſa fuiſſe conſtat, nec populum interim ab acerrimis tributis immunem extitiſſe, quæ temporibus pacis nemo mortalium vidit exigi. Quare ut quod pluribus dixi paucis perſtringam, quum Quæſtoris officium mihi ſit demandatum, nec Theſaurus Regis ad meas manus unquam pervenerit, cum ego tum in gratia fuerim, ne ſuſpectus quidem de crimine, cum illi moti loco propter rem male adminiſtratam dignitate caderent, quum multo plura non minus utiliter quam præclare, atque adeo ſummo Reipublicæ, & Eccleſiæ bono inſumpta fuerint quam adverſarii dicunt recepta, quum præter *Britannicam*, & *Hiſpanicam* militiam quam in veræ pacis temporibus perpeſſi ſumus, in illa altera pace ementita, & falſa pace dicta, graviſſimis bellis apud *Pictones*, & in Agro *Lemovicenſi* & *Andegavenſi* & aliis *Galliæ* partibus toti conflagraverimus, quam juſtam cauſam calumniandi habeant adverſarii mei, veſtrum (patres conſcripti) judicium, veſtra exiſtimatio ſit.

Acccuſa-

Accuſationis Caput Secundum.

NEque in hoc ſolo peccavit Antiſtes, ſed partim malo in bene de Reipublica meritos animo affectus, partim alieni lucri non minus avidus quam ſuo intentus, bonis fortuniſque omnibus privavit, & exuit præclari nominis virum Matthæum Gurney, Thomam Fogge, Johannem Sentlowe, Degorium Sayes, Robertum *de* Evers, *& alios ejuſdem notæ quamplures qui omnes ſub* Edwardo *Rege ſtrenue militarant. Quæ quidem militaris gloriæ defloratio, tantis viris illata, univerſæ miſeriæ, & calamitatis & inſequentis non ſolum in* Gallia, *ſed & in* Anglia *fons, & ſeminarium fuit, nam hic ſtudia partium gliſcebant, & inter magnates fœda diſcordia, illic armatæ copiæ (cum tam indigne in principes viros animadverſum audirent) ad arma conclamabant Gallorumque ſpoliis & rapinis tam hoſtilem in modum ſe locupletabant, ut bellum inde ſit renatum, & infinita mala conſequuta.*

Defenſio Secunda.

QUod iſti ſecundo loco *Matthæi Gurnei*, & aliorum aliquot inſignium militum prolapſionem ab Equeſtri honore, ad facinoroſum vivendi genus mihi vitio vertunt, certe magnam in eo non ſolum mihi, ſed & principi meo, atque adeo Reipublicæ injuriam faciunt. Equidem quali fuerim in eos ſtu-

dio quoad principi *Walliæ*, & *Aquitaniæ* (erant enim plerique ex ejus familia) fideliter inſervirent, dum in *Britannicis* bellis fortiter, in *Hiſpanicis* glorioſe dimicarent; ex hoc apparet, quod plurima eorum vota apud Regem promoverim, & honorificam de nonnullis iſtorum apud pleroſque veſtrum etiam (prout eorum merita poſtulabant) mentionem fecerim. At quum poſtea mutato vitæ curſu, magnas pecuniæ ſummas à Rege pro ſtipendiis militum erogatas, in proprios uſus convertiſſent, cum prædonum & graſſatorum turbis ſe immiſcuiſſent, cumque obſiderent vias, vicos expilarent, & omnia prædis & rapinis undequaque vexarent: denique quum de iſtis à Rege admoniti evaderent deteriores, atque in patriam redire juſſi, mandatum Regium ſæpius aſpernarentur, imo quum ex iis nonnulli etiam nuntios Regis contumelioſis verbis eluderent, ſeque *Navarreno* Regi inſervire impie clamitarent, quumque alii ſe nihil ibidem terrarum, aut Arcium Regis *Angliæ* poſſidere reſponderent: tum quidem certe non diffiteor meum animum ab iſtis alienatum fuiſſe, & offenſum. Ea vero non mihi ſolum diſplicebant, ſed cum per varios nuntios & Regi & Senatui conſtarent, vos (patres graviſſimi) humiliter compello, an non tum omnium noſtrum communis fuerit opinio ad Capitalium Judiciorum præſides rem eſſe deferendam, & in hujuſmodi reos ſecundum leges, & jura Regni animadvertendum. Fuit ſane, quum in cæteros pecuniaria mulcta animadverſum eſt, in *Gurnei* hæreditates fiſco adjudicatas Regia etiam manus ita injecta, ut ipſæ in partem poſſeſſionum Ducatus *Cornubiæ* fuerint aſſignatæ in perpetuum, eoque

eoque titulo eis princeps *Edwardus Cornubiæ* Dux, & deinde *Richardus* ejus filius, qui patri in Ducatu ſucceſſit, & nunc rerum ſumma potitur, legitime frueretur. Quæ cum ita ſint, quid eſt, quod iſti leviſſimi homines cornicum (ut dicitur) oculos configere, ac mihi in primis (cui ne teruncius quidem ex iſtorum bonis, ſed omnia fiſco accreverant) obtrectare auſint?

Summe Deus, in quæ incidimus tempora? Eone audaciæ, vel amentiæ potius, homines triobolares deſcendiſſe, ut quod Conſilium Regis, Judices Regni, Rex ipſe, & non modo patriæ leges, ſed jus gentium ſtatuerit, juſſerit, comprobarit, id iſtos, ruptis tam obedientiæ quam modeſtiæ repagulis infringere atque labefactare in hoc cœtu Regali non pudeat? Videte an non illorum in me odium omnem in ipſis ſanioris conſilii vim extinxerit; videte an non projecta audacia & effrænata cupiditas eos ipſos provexerit, ut ſublatis judiciis omnia militum libidini exponi cupiant, & impudenter operam dent ut id liceat impune per *Angliam*, quod turpiter in *Gallia* perpetrarint. Imo animadvertite, quo ore, idque in conſpectu veſtro audeant vociferari mea crudeli in illos militum ductores animadverſione effectum eſſe, ut illi hoſtiliter in Regno *Franciæ* ſe geſſerint, ideoque me belli renovati, & ſubſequentis calamitatis cauſam, & caput, & auctorem extitiſſe. Quid? egone ex aliorum pœnis voluptatem capio? egone belli auctor, qui pacis ſemper fuerim ſtudioſus? an mei mores, & hoc meum vivendi genus bellum ſapiunt? Sane hæc qualiſcunque in eos animadverſio non meum factum, ſed veſtrum (honoratiſſimi Domini) & tuum, invictiſſi-

me

me (te enim mortuum appello) atque prudentiſſime Rex *Edwarde*, fuit. Quod certe non tumultuandi dedit cauſam, nec peccandi licentiam, ſed cohibuiſſe debuit potius effuſam illorum petulantiam, & effræ-natæ libidini vincula injeciſſe. Et in hoc (ut libere loquar) ſi erratum eſt, lenitate tua & indulgentia magis quam merita ſeveritate erratum eſt. Sed vultis, ut uno verbo dicam, quid ad hanc rabiem eos incitarit? primum mala mens, malus animus: deinde illa inſatiabilis rapiendi cupiditas, & data licentia faciendi quod vellent, quam blanda ſpe prædæ illecti eorum duces indulſerunt. Nam quum viderent primum *Anglos* atque *Gaſcones* primarios, deinde eorum exemplo *Alemanos*, *Brabantinos*, *Flandros*, *Hanonicenſes*, atque adeo nonnullos *Gallos* in *Britannia*, *Armorica*, & *Campania*, in *Burgundia*, in Agro *Matiſconenſi*, in *Provincia*, nec non in aliis partibus *Galliæ* (quam Cameram ſuam appellabant) ſeptennio plus minus rapinis atque prædis aſſuetos, ab humili conditione ad divitias uſque Regales impune excreviſſe, ipſi ejuſdem fortunæ ſpe invitati, ad ſimile vivendi genus ſe contulerunt. Ad quam colluviem reprimendam, quum Rex noſter invictiſſimus tum indignitate rei, atque peſſimo exemplo, tum *Caroli Galliarum* Regis literis excitatus, copioſam militum manum armaſſet, quumque adeo in procinctu eſſet, ſatis conſtat, quemadmodum *Gallus* mutata voluntate, metuens forte ſibi ne ſi Rex contra illos victoria potiretur, utrimque *Galliam* adoriri vellent, contrariis chirographis ab eo petierit ut domi ſuas copias contineret, ſibique ad eos ſubjugandos ſatis virium eſſe ſcripſerit.

Verum

Verum ille nihil tale in animo habuit, ſed potius hoc perditum genus hominum ſua conniventia in finibus *Galliarum* ali permiſit, quo eorum opera (ut eventus rei docuit) ſuo tempore poſtea contra nos uteretur. Quare (patres conſcripti) quum in illos non ex arbitrio meo, ſed judicio veſtro ſententia idque juſte ſit lata, quum eorum bona non mihi ſed Regio fiſco ſint adjudicata, quum illæ perditorum manus non ſeveritate nimia, ſed facilitate, vel impunitate potius ad ſpolia & rapinas confluxerint, denique quum ſeditioſos iſtorum motus illuſtriſſimus princeps noſter armis compreſſiſſet, niſi *Gallus* malo proprio (interim enim ſpoliabant *Gallos*,) & aſtu *Gallico* diſſuaſiſſet, vos quam ſint à vero aliena, quæ contra me hac in parte objiciuntur, judicatote.

Accuſationis Caput Tertium.

PRæterea *quum hic privati Sigilli Cuſtos, & Secretioris conſilii Primas, & magni conſilii ſummus moderator ab invictiſſimo Rege noſtro* Edwardo *conſtitutus eßet* (*quibus quid honorificentius huic indulgeri potuit?*) *ipſe quaſi dominus ampliſſimi conſilii, & Rector Reipublicæ non Senatuſconſulti auctoritate, ſed privato decreto, non communicato conſilio ſed arbitratu proprio, obſides illos Regales* Franciæ, *& in iis* Aurelianenſem, Biturigenſem, Andegavenſem, & Borbonium, *ac complures alios per gratiam, & pretium liberavit. Et quamvis per literas clariſſimi ducis* Aquitaniæ & Walliæ *nuper defuncti, tam Rex ipſe, quam idem Cancellarius ſæpius admoneretur, ut firmo eos præſidio detinerent,*

ne ſi recuperarent libertatem, pacis conditiones in rabiem bellicam commutarent, tamen ita mens ejus mercede erat obſtricta, ut de eorum ambitione, vel detentione oſcitanter ſe gereret, id quod novi recrudeſcentis belli cauſam dedit, atque luculentam plagam Reipublicæ inflixit.

Tertia Defenſio.

VEnio nunc ad tertiam criminationem quam iſti probi viri mihi imponunt, ubi non poſſum non admirari malitioſam illorum facundiam quod in ſua ſubdola præfatione, ſplendidiſſimis titulis me honorant, quo poſtea magis onerarent, & à ſuperis ad inferos detruderent, & tres querelas in me uno ſpiritu effunderent, nimirum quod obſides Regales *Franciæ* liberarim; quod id ad meum ſolius commodum fecerim; idque etiamſi princeps *Aquitaniæ* tum me tum Regem meum ne id fieret, ſæpius per literas præmonuerit. Hæc vero quemadmodum doceant ac probent, minime laborant. Ego autem quamvis ſatis eſſet adverſus accuſantem verbo, verbo negare; tamen aperte, ac perſpicue quemadmodum res ſe habeat, demonſtrabo. Ac primum quidem bona cum venia auſim profiteri, illos obſides ſine conſenſu meo & cæterorum qui tum à conſiliis erant, mero motu, & ſolita humanitate ſolius principis fuiſſe liberatos. Siquidem ea erat ejus facilitas, & humanitas ſingularis erga quatuor illos Duces Regia ſtirpe natos præ cæteris, ut quum ipſis valde moleſtum videretur tam diuturna Cuſtodia detineri (nam circiter quinquennium effluxerat ex quo illi quaſi extorres

extorres in *Anglia* remanſerint) *Caletum* uſque eos dimiſerit, ut quo viciniores eſſent *Galliæ*, eo commodius ſuæ redemptionis negotium expedirent. Nec vero hoc tantum eis indulſit, ſed ita benigne prolixeque eos adhibuit, ut intra noſtros fines venari, aucupari, & quælibet oblectamenta capere poſſent, ea lege ut quarta nocte ad occaſum ſolis ſiſterent ſe in oppido *Caletenſi*. Cujus humanitate Dux *Andegavus* plurimum abuſus, non principis ſed punica fide (relictis ſociis obſidibus) ſe inde *Bononiam* ſubduxit. Deinde duces *Aureliæ* & *Birriæ*, quum alter poſt alterum à Rege impetraſſet integri anni ſpatium quo poſſent in *Galliis* valitudinis ergo commorari, nullum habebant revertendi animum, ſed nunc hoc, nunc illud cauſabantur, donec iterum ad arma conclamatum eſſet. Verum quum illa libertas Duci *Borbonio* fuiſſet tributa, is ante annum in *Angliam* reverſus, depenſis viginti francorum millibus cum Rege pro libertate ſua tranſegit. Similiter *Alenconius* licet reditum omni ratione defugeret, tamen quo fidem ex parte liberaret, & ſe culpa eximere videretur, triginta francorum millia numeravit. Quid de reliquis? *Harcortus* morbum excuſabat, ac *Ludovici Harcorti* patrui ſui precibus qui plurimum apud Regem noſtrum, omnia apud principem *Aquitaniæ* potuit, facile immunitatem conſecutus eſt.

Sic *Carolus* Comes *Bleſenſis* datis obſidibus duobus filiis, eſt à Rege illico reſtitutus. Pro *Guidone* vero *Bleſenſi* ejuſdem Comitis fratre Dominus à *Couci* Regis noſtri gener (ut noſtis) nulla depenſa pecunia libertatem obtinuit.

Comes vero Sancti *Pauli* in arctiori præſidio poſitus

ſitus (erat enim *Anglico* nomini paulo infeſtior, & ſuſpectus) corruptis Cuſtodibus per aureas portas (ut dicitur) evaſit. Præterea Comes *Delphinus* de *Auverna*, itemque *Johannes* de *Ligni* Comes *Porſennæ*, nec non aliquot alii *Galliæ* proceres etiam in ardore belli (cum *Mars* maxime ſæviret) alii minore, alii majore pretio (prout Regi placuit) dimiſſi ſunt. A quibus quoniam me adverſarii mei muneribus delinitum fuiſſe pro more ſuo objectant (quaſi ego Reipublicæ procurationem ad meum quæſtum, & emolumentum traduxiſſem) vel teruntium probent, & cauſa eadem. Interea Deum immortalem, atque omnes mortales teſtor, ne unum quidem nummulum ad me perveniſſe. Equidem ſummo Numini immenſas habeo gratias, quod me ab hujuſmodi ſordium & infamiæ labe in omni vita conſervarit, quodque mihi principem adeo beneficum & benignum conceſſerit, qui mihi præter ſpem omnia plene cumulateque ſuppeditarit. Itaque nihil maculat linguarum lutum, quod iſti lutei homines in me aſpergunt; criminibus non calumniis convinci volo.

Quod autem tertio loco criminantur, ducem *Aquitaniæ* & ad Regem, & ad me ſcripſiſſe, ut obſides *Galli* firmiore cuſtodia tenerentur, & majore cautione; primum hæc admonitio (ſi bene memineritis ampliſſimi viri) ſane nimis ſera erat. Tragicam enim illam accuſationem ab *Aquitaniæ* Nobilibus contra ducem ſuum *Walliæ* Principem *Lutetiæ* inſtitutum, ad menſes aliquot ſubſequuta eſt, quo tempore ex ducibus *Galliæ*, & Principibus viris tres erant paulo ante à Rege fide ſua dimiſſi, ac duo clam in *Galliam* reverſi. Deinde ex Regis facto, præſertim quod

quod recte defendi poſſit, culpam in me conferre iniquum eſt. Illis enim quinquaginta obſidibus in cuſtodia relictis prout reliquis etiam quinque, quorum mentionem modo fecimus, Rex multa ſummæ comitatis ſigna, multa egregiæ benignitatis argumenta impertivit, hoc quidem certe conſilio, ut illam gentem levitati & inconſtantiæ obnoxiam, arctiori benevolentiæ vinculo devinciret. Nam quum ex pacis fœdere nuper firmato *Caletis*, tertia nunc parte *Galliæ* aut circiter frueremur, nulla alia meliore ratione credebat *Gallos* in officio retineri poſſe, quam à more ac lenitate, præſertim quum videret quam male coiiſſet pax illa prior, cui uterque Rex, Princeps *Aquitaniæ* & *Jacobus Borbonius Londini* ſubſcripſerant: Eam enim tres ordines *Galliæ* (in quibus erat *Carolus Delphinus*) reſpuerant, reſponderantque ſe paſſuros potius Regem ſuum in perpetua cuſtodia detineri, quam nobis capitalibus inimicis tantam vim auri numeraturos. Illud etiam Regiæ prudentiæ occurrebat (quod paulo poſt ſubſequutum eſt) licet *Galliarum* Rex, ejuſque filius, reliquique optimates, & primores ſervarent pacem, quam paulo ante *Caletis* jurejurando æternam ſanxiſſent, tamen plebeios & inferiores magiſtratus ægre adduci poſſe, ut oppidis & munitionibus cederent, ut ſe ſuaque externo jugo ſubmitterent, quod quidem *Rupellenſes*, *Zantones*, itemque in *Gaſconia*, & *Languedocia*, quam plurimi, primi etiam apud *Pictones* tam proceres quam plebeii palam non dubitarunt profiteri. Quæ quidem omnia quum Rex prudentiſſimus quam longiſſime prævideret, id ſibi maxime laborandum videbat, ut omni ſtudio, atque ratione in

amicitia *Gallos* retineret, & illud innatum odium capitale inter duo Regna omni humanitatis genere placaret. Malum enim diuturnitatis coſtodem eſſe metum, nec *Gallum* poſſe timere diu, facile judicavit. Hinc igitur illa, Regis noſtri erga Captivos, ſumma lenitas. Hinc *Gallorum* Rex quatuor Duces, viginti Comites ac Barones, quinquaginta Equites, ac primores præſtantiſſimorum in *Gallia* Comitatuum ſumptuoſe, honorifice, ac regie adhibet. Hinc Regis noſtri erga ejus gentis omnes in recipiendo comitas, in retinendo benignitas, in dimittendo humanitas incredibilis, depoſita omni ſuſpicione periculi emanavit. At quid iſti ad hæc? Rident Regis & noſtram quotquot eramus tum illi à conſiliis, nimiam bonitatem: & ſtulti in eo Rege deſiderant prudentiam, quem *Ludovicus Bavariæ* Rex propter inſignem Regni adminiſtrandi prudentiam, Vicarium Imperii, principes vero electores defuncto *Ludovico* in Imperatorem eligerunt, cuique *Carolus* ipſe *Gallorum* Rex quamvis vivo invidus, tamen hanc laudem aſcripſit mortuo, ut diceret eum inter ſapientes Reges eſſe ea ætate ſapientiſſimum. Non minore itaque conſilio, quam humanitate iſtos obſides dimiſit Rex. Sed miſſo Rege, quid iſti Regiæ bonitatis & prudentiæ Cenſores feciſſent, ſi ipſi tum ad gubernacula ſediſſent? Num quemadmodum *Hiſpani* captos in prælio, quos hoſtium loco habent, condunt in Carcerem, & manicis ac compedibus conſtringunt, ita iſtos tam nobiles obſides, ac fœdere nobis conjunctos in arctam cuſtodiam detrudi & vinculis mandari voluiſſent? atqui hoc nec jure gentium probari, nec ulla civili, aut naturali ratione defendi poteſt. Et

quid

quid arctior profuiſſet in reliquis, ex Comite S. *Pauli* intelligimus, quem illa detentio paulo ſeverior in eam furoris rabiem inflammavit, ut domum aſtu reverſus, illico novi belli faciem accenderit. Quare quum hoc Rex, Rex inquam ſolus, fecerit, non ego, nec qui eramus à conſiliis, idque non per imprudentiam, ſed conſulto, cogitatoque (licet prudentiæ ejus, ex *Gallorum* malis morbis, eventus non reſponderit) quumque Rex impendentium malorum gnarus, & providus, qui tot florentiſſimarum ditionum poſſeſſiones erat adeptus in *Gallia*, juſtam haberet cauſam reformidandi ne ſi tot principibus ſe duriorem præberet, eas omnes in diſcrimen adduceret: Denique (ut uno verbo expediam) quum in contemptum quoque totius Senatus hæc criminatio redundet (quid enim ego in hoc feci, cui veſtræ manus non ſubſcripſerunt?) ſpero equidem ab hoc injecto crimine omnium veſtrum ſententiis me facile abſolutum iri.

Accuſationis Caput Quartum.

I*Stis adjungite hujus ſupinam negligentiam, imo tanto Magiſtratu indignam corruptelam. Quum enim Rex aſſiduis nuntiis tum à Principe* Walliæ, *tum ab aliis, quos* Pontino *præfecerat, certior fieret, undequaque* Gallum *vim & arma minitari, hic tamen* Gallum *nihil hoſtile facturum ita Regi omni ratione perſuadebat, ut impune* Gallo *liceret* Pontinum *flammis vaſtare, urbes capere; in ſuam poteſtatem munitiſſima quæque loca redigere: cui malo Rex opportune occurriſſet, niſi hujus malo conſilio ab inſtituto ſuo depulſus, auxiliares copias diſtuliſſet.*

Ad

Ad quartum Calumniam Reſponſio.

CÆterum alia me adhuc negligentiæ pluſquam ſupinæ ac dolo proximæ ignominia aſpergunt, quod quum *Gallus* omnia ad arma pararet, & tacite per *Pontinum* hoſtilia quæque moliretur, tamen ego neque nuntius in hac re credere, neque præfectis urbium ſubſidia mittere curavi. Grave crimen ſcilicet, ſi aliquantulum perpendatis, graviſſimi viri. Nam (ut non dicam iſta tum primum ſignificata, cum undique Gallus fines noſtros popularetur) numquid mihi ſoli hæc renuntiata ſunt? nunquid penes me fuit poteſtas conſcribendi milites, ſuppetias ferendi? hæc tibi, juſtiſſime Rex *Edwarde*, (iterum enim te mortuum appello) tuoque ſanctiſſimo graviſſimoque conſilio narrata ſunt, ac tuum, non meum fuit, imperare militem, & imminenti malo occurrere. Sed ut ab hac criminatione me, & Regem, ejuſque Senatum liberem (nam vos omnes tacite perſtringit adverſarius) ſinite me, precor bona cum venia *Gallicas* in hac re molitiones à rerum primordiis recenſere. Poſtquam Rege *Johanne* mortuo (qui nunquam adduci potuit, ut adverſus fœderis pactionem vel amicitiæ legem committeret) ſumma rerum ad *Carolum* ejus filium deveniſſet, dici non poteſt, quantopere optimi patris interitus omnia conſilia Regis noſtri interverterit, & malitia peſſimi filii rationes noſtri Senatus pariter conturbarit.

Tegere tamen omnia, & bellis excuſationibus occultare ad tempus, & quod Marte non potuit, id arte perficere tentavit. Tædebat eum, atque pudebat, quum

quum *Galliam* ſuperioribus annis, & ſumptibus, & jacturis exhauſtam, ac pæne perditam videret, nec dum poſſe à continuis pecuniæ præſtationibus, quibus erat in parte ejus redimendo obnoxia reſpirare, tum illud eum acriter pungebat, quod magno ſuo malo ſentiret tertiam quaſi *Galliæ* partem ex novo fœdere à noſtris, hoc eſt (ut ipſe interpretabatur) ab antiquo hoſte poſſideri: huic igitur vulneri ut mederi poſſet, clandeſtinis conſiliis & omni aſtutiarum genere ad aliquot annos uſus eſt. Ac primum quum à Rege noſtro duo imprimis affectari animadvertiſſet, unum ut Regem *Navarræ* ſibi perpetuo fœdere devinciret, alterum ut *Ludovici Flandrenſis* Comitis filiam, quam habebat unicam, *Edmundo* filio ſuo *Cantabrigiæ* Comiti, in matrimonio locaret, utrique vafre & aſtute obſtitit: licet enim toto triennio non poſſet *Ludovicum* ipſum à nobis in hac cauſa alienare, tamen ejus uxore tandem expugnata, quæ filiam ad alias nuptias alliceret, & corrupto *Urbano* Pontifice (cui ipſe *Avinionem* conceſſerat) exoravit, ut ea *Philippo Burgundiæ* Duci fratri ſuo germano deſponderetur, & paulo poſt ſolenni ritu nuberet. Cum Rege autem *Navarræ* ſic tranſegit ut ſimul ac is rediret in Regnum ſuum, bellum nobis (quamvis aliter cum Rege noſtro pactus fuiſſet) denuntiaret. Ad hæc quum *Johannes Armeniacus*, & *Carolus Petragoricus* Comites *Gaſconiæ* & *Guiennæ* cum aliquot aliis Nobilibus contra Principem *Aquitaniæ*, quod nova & immania tributa ſuis ſubditis imperaſſet, gravem in Parliamento *Lutetiæ* feciſſent querimoniam, quamvis hac ſimultate magnam caperet voluptatem, tamen ne tum quidem odium inteſtinum contra nos

conceptum aperire voluit, ſed annum & amplius, tres Comites, ac totidem Proceres *Aquitanicos* principis accuſatores *Lutetiæ* detinuit ſuſpenſos. Verum quum jam omnia parata eſſent, eos non inflicta pœna, ſed refuſis expenſis, ſummiſque beneficiis ac donis cumulatos dimiſit. Interea temporis dum hæc gerebantur, tentare omnia, & ad defectionem gentem ſuapte natura ſatis proclivem, ſollicitare cœpit, miſſis nuntiis, & exploratoribus tam in *Aquitaniam* quam *Pictones* & *Pontini* comitatum, qui ſubolfacerent quemadmodum illarum Regionum incolæ in nos animati eſſent.

Quumque pleroſque dubiæ in nos fidei eſſe referrent, & *Anglicanum* jugum ægre ſuſtinere, tunc illico ad præcipuos ductores illorum rapacium militum qui flagitioſe ac nefarie ibi prædabantur, à quibus antea plurimum metuebat, duos ex fratribus ſuis miſit, ut clam eos datis aliquot francorum millibus ad ſuas partes traducerent; Illi accepta mercede, licet in *Averniæ*, *Birriæque* finibus ſe continerent, tamen in autumni finem ſuam operam promittebant. Quamvis autem in exteris Regionibus auxiliares copias conduceret, in *Galliis* undique militem conſcriberet, tamen ſanctiſſime ſæpe affirmabat ſe adverſus rapaces iſtos exercitum hunc univerſum comparare. Sed & ab *Henrico Notho* (qui *Caſtellæ* Regno tunc recens potitus erat) magnas ex delectu *Hiſpaniæ* copias comparavit, adeo ut ante bellum nobis indictum exercitum ad centena virorum millia jam paratum haberet. Deinde etiam *Bertrandum Gueſcanium* in bello *Hiſpanico* captum magno pretio redemit, & Magiſtrum Equitum fecit, ut nos, cum videretur

Addenda nomina *Ducum.*

retur commodum, in *Aquitania* laceſſeret. Quid? an tum quicquam nobis metuendum fuit? At nihil in nos hoſtile ediderat, imo vero plurima amoris, & benevolentiæ argumenta præ ſe ferebat. Siquidem quum D. *Leonellus Clarentiæ* Dux, Regis noſtri filius, in *Lombardiam Violettæ* Ducis *Mediolanenſis* filiæ & hæredis ducendæ cauſa cum lectiſſimo nobilium & præſtantiſſimorum virorum Comitatu circiter Kalendas *Maias* per *Galliam* tranſiret, dici non poteſt quanta comitate, benignitate, & munificentia à Rege atque Regina acceptus ſit. Deinde etiam poſtquam donis ampliſſimis ad viginti aureorum millia fuiſſet cohoneſtatus, quanta affectatio principum, ac illuſtrium virorum? quantus Nobilium comitatus, qui eum *Camberiam* uſque (principem *Sabaudiæ* civitatem) proſecuti ſunt? Eodem *Gallus* aſtu continuo uſus, crebris ad Regem noſtrum nuntiis & legationibus, ſimilem amoris ardorem ſpirantibus, totum tempus æſtivum extraxit.

Quarum literarum & legationum ſumma erat, reliquum pecuniæ debitæ intra duos menſes ad ultimum ſeſtertium depenſum iri, ſeque omnes præterea pacis articulos ſanctiſſime obſervaturum eſſe; Vina quoque *Bohemica* generoſiſſima, ac nonnulla alia, pretioſa dicam, an viſcata munera, in autumno Regi dono dedit. Quibus ſic ejus animum aſſidue delinivit, ut omni ſuſpicione vacuum, & expertem redderet. Verum fidem fregit, & rebus omnibus ad bellum paratis cum ingenti exercitu noſtros fines afflixit. Armare ſtatim nos, & quanta potuimus celeritate fortiſſimos viros D. *Perſeum*, & D. *Nevellum* cum ſelecta militum manu ad *Pontini* fines &

oppida novis circumcirca præſidiis munienda mittere. In legatis autem valuit jus gentium, ut in eos Rex noluerit aliquid acerbius fieri; tantum juſſit ut cum vinis, & id genus fucatis, & hamatis donis è Regno diſcederent, & Regi ſuo renuntiarent eum perfidiæ, & perjurii ſui pœnas brevi luiturum. Legati vero antequam ex agro *Caletenſi Geſſoriacum* attigiſſent, à militibus noſtris ſpoliati ſunt. Inde pacem à nobis *Galli* primum eſſe ruptam, ſplendide mentiuntur. Ecce autem ſtatim è præconum conceſſu *Lutetiæ* neſcio quis tenebrio *Burgundius* à *Carolo* miſſus, qui bellum Regi noſtro denuntiaret. Verum eo ipſo temporis veſtigio *Guidones* duo, alter Sancti *Pauli*, alter *Caſtellani* comes *Abevillam*, S. *Valerium*, aliaque nonnulla oppida cingunt, ac noſtros aditu prohibent, eodem inquam die, quo illis veriſimile viſum erat fore, ut bellum indiceretur. Ac dicto quidem citius aliud nuntium adfertur, Cives & oppidanos *Abevillæ*, S. *Valerii*, *Crotæ*, *Danæ* & aliorum complurium in comitatu *Pictavienſi* oppidorum juxta fidem (ut diximus) antea nuptiis *Caroli* datam proditorie Dominum ſuum mutaſſe, & juraſſe, ſe deinceps in *Galli* poteſtate futuros, ſimulque eadem oppida non tam per vim quam per fraudem ac perfidiam amiſſa, paucos è noſtris militibus trucidatos, reliquos captos eſſe.

Quæ cum ita ſint, quid eſt quod in me, vel in Senatum vel in Regem noſtrum iſti maledici & nobilitatis invidi reprehenſione dignum poſſunt effutire? Numquid nos militares copias præſidio non miſiſſe? At illud oſtendimus, minus verum eſſe. At non ſatis cito? Quomodo id citius fieri potuit, quando id

Rex

Rex oculis prius quam opinione, manibus quam ſuſpicione deprehenderit? At Dux *Aquitaniæ* nuntium miſit. Miſit quidem, ſed antea contra fidem, contra jusjurandum, vigente altiſſima pace peracta res erat. Quid quod ipſi quoque duci inſidiæ longe antea paratæ, & magna pars *Aquitaniæ* ſpe devorata, quam ulla collecta aut injecta ſuſpicio vel principi, vel Regi videretur? At firmius præſidium (inquient) in illis ditionibus omnia ſervaſſet. At parum proſunt arma, vel præſidia foris, niſi ſint intus amor & fides. Quare quum pacis nomine *Carolus* Rex involutum bellum gereret, quum fides militaris, quum promiſſa principum, quum tot *Syngraphæ*, & obſignationes, atque adeo Sanctiſſima fœderis atque jurisjurandi religio flocci penderentur, quumque populus *Pontini* Provinciæ univerſus, qui centum & duodecim annos (nempe ab eo die quo *Edwardus* hoc nomine primus eam provinciam in dotem cum *Helionora* Uxore ſua *Alfonſi* Regis *Caſtellæ* ſorore accepit) fideliter atque amice ſub imperio noſtro permanſerat, nunc repente excuſſo omnis obedientiæ jugo ad hoſtes noſtros capitales perfide transfugeret, quid aut cui crederes? aut quid adverſus hujuſmodi amicitias ementitas atque tectas proditorum inſidias humano ingenio ſatis proviſum, vel ab imminente periculo tectum eſſe potuit?

Accuſationis Caput quintum & ſextum.

QUid hic memorem viginti libras Regi à quodam Raulentio *mulctationis jure debitas, ſed per hunc ex rationibus Regis ereptas, vel potius ſurreptas, adeo ut credibile ſit in ipſius uſum converſas eſſe, aut* Raulentio *injußu Regio condonatas? Quid octo marcarum millia fiſco adjudicata* Johanni *de* Kirkton *elargita, & à Scaccario Regis per hunc, cum Clericus eßet privati Sigilli, averſa.*

Reſponſio ad quintam & ſextam accuſationem.

NUnc à quarta ad quintam & ſextam calumniam, hoc eſt, ab elephanto ad muſcas adverſariorum dilapſa eſt oratio. Nam poſt tot provincias noſtra (ut aiunt) negligentia amiſſas, & poſt Principis ærarium tot millionibus librarum per neſcio quem expilatum, nunc ad viginti libras interverſas deſcendunt.

Fuit (inquiunt) *Raulentius* quidam in officio pecuniæ mulctatitiæ (cui ego aliquando præeram) pœna centum librarum mulctatus, tamen octoginta libræ tantum in ærario depenſæ inveniuntur, ideoque quia ego reliquum pecuniæ (viginti ſcilicet libras) homini non emulſerim, illum nummulum me Regi abſtuliſſe inſimulant.

Quod quidem nec veſtro conceſſu (clariſſimi viri) propter exilitatem pretii dignum, nec mihi propter malitiæ

malitiæ & fraudis ſuſpicionem metuendum crediderim, quum tanta adverſarii & tam facinoroſa minitati, tam frigida & jejuna conſectentur ne omnino nihil videantur dicere. At quorſum mentio illa centum librarum à me facta eſt, ſi vel dolus ſubeſſet, vel viginti illæ libræ remiſſæ non intelligerentur? neque enim novum eſt in debitis mulctatitiis ſæpe trientem, ſæpe ſemiſſem & amplius, ex ſingulari Principis gratia condonari.

Quod ſi quid quæratur an illa pecunia in rem meam ſit interverſa, ſpero id reſponſi in hoc honoratiſſimo cœtu ſufficere, quod apud *Romanos Æmylii Scauri* fuit, qui cum à Q. quodam Vario *Hiſpano*, in judicium vocaretur, quod ſocios in arma concitaſſet: ita pro ſe reſpondiſſe fertur. Q. Varius *Hiſpanus* M. *Æmylius Scaurus* princeps Senatus negat; teſtis nemo eſt: utri vos, *Quirites*, convenit credere? *Aſcon. Pædian. in orat. Cic. pro M. Scauro.*

Nec diſſimilem mihi litem inferunt, quod quum quidam *Johannes* de *Kirkton* in quædam maneria, & poſſeſſiones (quæ teneri in capite dicebantur) abſque licentia Regis ſe intruſiſſet, eaque ratione redditus, & vectigalia ſummo jure amiſiſſet, tamen mea perſuaſione Rex adductus ſit, ut gratiam illi faceret ejus mulctæ legibus irrogatæ. Grave quidem crimen ſi conſideretis, & cujus vos omnes, qui adeſtis in concilio, reos auſim pronuntiare. Nam quum clementiſſimus noſter princeps in hujuſmodi mulctis moderandis vel remittendis, nunquam difficilem ſe præbuerit, quumque preces apud illum (ut res poſtulabat) plurimum potuerint, quis veſtrum in cauſa æqua & honeſta tam facilem principem à ſummo jure ad æquitatem non permoveret?

Accuſationis

Accuſationis Caput Septimum.

POſtremo cum Johannes Barnettus *Epiſcopus* Elienſis *eſſet Theſaurarius* Angliæ, *idem* Wicamus *ſine Regis mandato, cauſatus neſcio quid quod in rem fiſci verteretur, decem millia marcarum ex ærario ſumpſit, ac per annos duos & amplius arbitratu ſuo habuit, ac tenuit. Cum autem tandem aliquando rationem reddendam eſſe exiſtimaret, in ærarium tantummodo intulit duodecim millia marcarum, & quingentas marcas: debuiſſet autem emolumentum Regis longe majus eſſe, adeo ut ſumma univerſa fiſco debita efficiat 27 millia marcarum.*

Ad Septimam Criminationem reſponſio.

POſtremo quum mucronem in nos ſtrictum in quinta & ſexta criminatione ſanguine imbuere non poſſent, ecce ut aliud iſti veteratores fraudis & inſidiarum diverticulum in ipſo veſtigio repererint. Nam quo tempore penes *Barnettum Elienſem* Antiſtitem erat ſummi Quæſtorii præfectura, aiunt me decem marcarum millia ex Theſauro Regio pro arbitratu meo abſque Principis mandato deſumpſiſſe, & ad biennii ſpatium & amplius detinuiſſe, & demum cum fœnore quidem, ſed longe minore quam par erat (quod illi quaſi ad viginti ſeptem millia marcarum æſtimant) reddidiſſe: hæc eſt ſumma accuſationis; in qua ſpectate, quæſo, quomodo primis conveniant ultima. In prima criminatione, quo malitiæ ſuæ commodius inſervirent, liberam mihi poteſtatem

poteſtatem in omnibus bonis Regiis tribuerunt: in hac poſtrema, ſui parum memores (at oportebat mendaces eſſe memores) mihi vitio vertunt, quod me Regiis pecuniis ſine mandato immiſcuerim. Annon evidentis calumniæ hic convincuntur, cum tam vehementer pugnantia proferunt? Quæ malum veſania eſt? cui liberam & abſolutam aliqua in re poteſtatem eſſe tributam fateare, ei nullam omnino conceſſam dicere! At ego prorſus nego liberam atque abſolutam aliqua in re poteſtatem mihi conceſſam à Rege qualem iſti affingunt. Nego rurſum me abſque expreſſo principis mei mandato ex ærario vel unum nummum attigiſſe. Quid? quod illud quoque negare poſſum me debitum illud decem millium marcarum unquam contraxiſſe? Quid enim me ad corrogandum pecuniam æſque alienum contrahendum cogeret? Sed obiit (proh dolor!) qui principaliter contraxit, meque ad ſponſionem debiti ſummo Quæſtori vadem appoſuit; de quo non eſt quod ii conquerantur, qui fidem à me liberatam, atque adeo cum amplo fœnere ſatisfactum Regi, confitentur. Nam quum per biennii ſpatium decem marcarum millia ab ærario abfuiſſent: rediere tandem neque otioſæ, ſed bis mille & quingentis (ut ipſi aſſerunt) comitatæ. At majorem iſti veteratores comitatum volunt, majus fœnus poſtulant. Majuſne? O ſi reviviſceres (illuſtriſſime princeps) ut malleo ferreo execrandos iſtos Judæos contunderes, qui te principem inaudita liberalitate inſignem, in filium adeo durum & miſerum faciunt! Filium pendere uſuras patri quis vidit? Aut quenquam tam portentoſas ulli mortalium pendere quis audivit? Siquidem fa-

melici iſti non ſatis eſſe putant pro ſingulis centenis marcis, viginti quinque marcas ſingulis annis rependi (quod tamen genus fœnebris pecuniæ ipſam ſortem quadriennii curriculo adæquaret) ſed majora adhuc incrementa, nempe viginti ſeptem millia marcarum ſordide exigunt.

O fœtum prodigioſum! An eſt quiſquam, qui tam monſtroſas & edaces uſuras peſſimo poſt homines natos exemplo ſtatuerit? Videte, patres conſcripti, ut in iſtis extinxerit pudorem audacia, æquitatem avaritia, rationem amentia; & ex hac ludificatione, & calumnia, in reliquis verſuta eorum ingenia, & conſutos in me dolos conſiderate. Nam iſti *Harpyiæ* & vultures, non homines, non centeſimas uſuras (quo nihil impudentius) ſed improbas & intolerabiles neſcio quas cum Anatociſmo depoſcunt.

Sed miſſas faciamus iſtas inſanias, rem ipſam paucis accipite ut geſta eſt. Quum *Aquitaniæ* Dux, ſummo Regis atque optimatum conſenſu, ad illam glorioſam legitimi Regis in Regnum ſuum *Caſtellæ* reſtitutionem animum adjeciſſet, non eſt obſcurum pleriſque veſtrum illum conſeſtim ad externum militem conſcribendum centena francorum millia (quæ *Gallus* erat appenſurus) à patre mutuatum eſſe, ac præterea ut ſelectas copias auſpiciis tuis (*Lancaſtriæ* heros) ex hoc regno traduceret, decem marcarum millia ex ærario me vade & expromiſſore impetraſſe. Cum autem his copiis victoriam ex *Hiſpania* omnium illuſtriſſimam poſtea reportaſſetis, atque *Henrico Notho* profligato D. *Petrum* legitimum hæredem in Regali ſolio collocaſſetis: obliviſci non poteſtis tritum illud in D. *Petrum* dici cœptum eſſe.

Facilius

Facilius in timore benignos, quam in victoria gratos reperiri. Nam poſtquam Princeps *Walliæ* & *Aquitaniæ* longe maximam vim pecuniæ in illam expeditionem *Hiſpanicam* profudiſſet, *Petrus* ille petra durior contra fidem præſtitam ne ſeſtertium quidem rependit. Ex quo factum eſt, ut Princeps vaſa ſua aurea argenteaque redigere in nummos & à ſubditis ſuis tributum exigere coactus fuerit. Nec adhuc tamen quas à Rege mutuatus eſt pecunias præſtare potuiſſet, (ſine omni oſtentatione dicam) niſi ego ut prius in ſatiſdando benevolus, ita tunc in ſatisfaciendo ſollicitus fuiſſem.

Sed quid iſta inter patrem, & filium arcana divulgo? Te, *Lancaſtriæ* princeps, *Caſtellæque* & Legionum Rex, appello, tuamque hac in re intelligentiam, ac fidem teſtor, annon te conſcio, mea ab hoc crimine pura atque integra mens fuerit, tum etiam annon in reditu Ducis *Aquitaniæ*, quo tempore ducatu illo ceſſit, Rex (te præſente) tam eum quam ejus fidejuſſores ab æraríis rationibus quibuſcunque liberarit, & annuum præterea eidem ex ærario duorum millium marcarum numerari juſſerit? Itaque quod ad illud debitum principis *Aquitaniæ* attinet (quod in nos recepimus in ærarium Regis biennio poſt illatum iri) dico, ac confidenter dico, tam per acceptilationem Regiam, quam per ſolutionem à me factam utrumque noſtrum penitus eſſe liberatum. Quod vero venerandi præſulis *Barnetti* mentio ab adverſariis facta eſt, meque in ejus magiſtratu calumniantur per annos ſex continuos bona Regia pro arbitratu meo alienaſſe, expilaſſe, diſſipaſſe: hic ego ab iis quærerem quid in cauſa fuit, quum *Gallus* bellum redintegra-

Ex Recordis Regiis apud *Turrim.*

ret, cur *Barnettus* (qui tum ſummi Quæſtoris munus gerebat) propter anguſtias ærarii loco motus ſit, quum ego etiam ea tempeſtate in ſumma gratia apud Regem permanerem, nec rationibus referendis obnoxius, nec leviſſima criminis ſuſpicione aſperſus vel notatus fuerim. Quæ omnia quum ſint teſtata omnibus, & luce clariora, ſpero vos (patres graviſſimi) jam plane intelligere quam falſa & ementita, plenaque malitiæ & erroris fuerint, quæ tam in prima quam in hac poſtrema criminatione contra me de nummis Regiis objecta ſunt. Illud autem à vobis obnixe precor ut cum animis veſtris conſideretis, cui iſti decennio fere poſt exacto, idque non niſi Rege meo mortuo, hæc venenata in me tela conjiciant. An non temporis magis aucupio quam cauſæ præſidio freti, hanc mihi ampliſſimi conſilii offenſionem conflare cogitarunt? Quod vero infidelitatis ac perfidiæ me arguunt (quo vitio nihil eſt magis nefarium) an eſt quiſquam ſanioris judicii cui ſe iſtud probaturos ſperent? Non ſic tu, *Lancaſtriæ* heros, olim putabas, cum bello *Aquitanico* implicatus me & *Johann.* de *Lee* Equitem auratum tuos in terris boniſque omnibus tuis procuratores conſtituiſti generales: non ſic tu, *Leonelle* Dux *Clarentiæ*, qui in exteras partes trajecturus, mihi ſoli bonorum omnium procurationem commiſiſti: Nec ſic vos, illuſtriſſimi Principes *Edwardi* Regis mei filii, quorum omnium omnes cauſæ ac negotia mihi uni concreditæ fuerunt, & commendatæ? Videte literas invictiſſimi Principis *Edwardi Aquitaniæ* Ducis, tum ipſius in me amoris, tum meæ itidem erga eum obſervantiæ teſtes liquidiſſimas. Quas ego hic vobis, patres ornatiſſimi,

Ex Monumentis Regiis clauſula Vaſconia an. 40. Regni *Ed.* 3. *Francia* 41. R. *Ed.* 3.

Addes clariſſimum hac de re tum Regis *Rickardi* & omnium optimatum Regni teſtimonium.

tiſſimi, eo exhibeo, ut intelligatis talem ac tantum principem, mihi tum de aliis officiis in ſe meis, tum nominatim propter conductam illam pecuniam, ſingularibus verbis gratias egiſſe. Videte, ac manibus tenete, ſi placet, illam *Edwardi* Regis mei *Chartam* quam ille quinto ante obitum die, ad *Richardum* Nepotem ſuum (tunc *Walliæ* Principem, nunc totius *Angliæ* Regem) in medio fortunarum mearum naufragio miſit, ut ego ab illo in priſtini ſtatus portu collocarer, & bona, fortunaſque meas ſtatim nulla interjecta mora recuperarem. Ex quo veriſimile illud ab Eccleſiaſte dictum comperio, *Cor Regis eſſe in manu Dei*; nec dubito quin ut dextera Excelſi Regem in illa mea in integrum reſtitutione direxit, ita digitus Dei, hoc eſt (ut Evangeliſta interpretatur) Spiritus Sanctus, te, Rex *Caſtellæ* & Legionum, voſque reliqui optimates ac Conſules ad ſcientiæ fontem adducturus ſit, ut remotis omnibus erroris nebulis veritas meæ cauſæ eluceſcat. Quid? an quicquam eſt quod vos adhuc dubios, & ſuſpenſos teneat, quum horum veteratorum accuſatio (ut videtis) ridicula in nonnullis, in omnibus falſa à me oſtenſa ſit; defenſio vero noſtra non ſit abdita, ſed in oculis veſtris & ante pedes omnium poſita? Quod ſi dum ego una vobiſcum in conſilio vixi, pure integreque verſatus fuerim, ſi vectigalibus Regis amplificandis, non minuendis ſemper ſtuduerim, ſi ab eo die quo meum tempus Reipublicæ temporibus tranſmiſi, omne ſtudium, induſtriam, ac cogitationem, ad principis mei dignitatem ac ſalutem patriæ contulerim, ſi Rex omnium prudentiſſimus *Edwardus* me non modo cenſuerit reſtituendum, ſed & ipſe in vita reſtituerit, at-

Ex Monumentis Regiis apud turrim *Clauſ.* anno 51. *Ed.* 3.

que expreſſe juſſerit, ut meæ fortunæ in triſtiſſimo meo tempore ad ipſam delatæ ad aſſem reſtituerentur, ſi vos illuſtriſſimi ejus liberi teſtes mihi eſtis, nihil mihi potius fuiſſe quam ut in omni vita vos amarem, honorarem, ac pro virili locupletare ſtuderem; denique ſi me erga afflictos miſericordem, erga fontes ſeverum, erga omnes non iniquum præbuerim, veſtram fidem, principes atque ampliſſimi viri, veſtrum auxilium, veſtram ſeveritatem ſuppliciter ac dimiſſe imploro: fidem, ut meæ fidei ſatis vobis perſpectæ & exploratæ ratio habeatur; auxilium, ne cum fama fortuniſque omnibus horum quadruplatorum libidini dedar; ſeveritatem, ut auſtere in eos animadvertatur qui hanc cauſam per avaritiam & ſcelus inchoatum, tot & tam variis ludificationibus & calumniis protraxerunt. Quod ſi eorum ac talium improbitati, & malitiæ indulſeritis, quis poterit ſartus tectus à periculo infamiæ, ſpoliationis, capitis vivere? Quæ lux tranquillitatis eluceſcet, quum omnia tribunalia ſanctuſque Senatus eorum audacia, & furoribus perſtrepent; nec illi pluris facient auctoritatem veſtram, quam fidem ſuam?

Quum innocentiſſimus Antiſtes dicendi finem feciſſet, & ſe cauſamque ſuam tacitis univerſi Senatus judiciis commendaſſet, omnem pæne fidem ſuperat, quanto pudore adverſarii ſuffuſi, ſe clanculum è turba ſubduxerint; quanta acclamatione omnes omnium generum & ordinum, integritatem Antiſtitis, & innocentiam prædicarint; illic clamor & lætitia plebis, hic vota & preces Cleri, illic bonorum omnium in tam perditos accuſatores fremitus; hic malorum tacitæ obmurmurationes, ita confuſo ſono omnium

um ora & aures adimplebant, nihil ut dici neque audiri ſatis longo intervallo potuerit. Verum tandem ſilentio impetrato, poſtquam Senatus accuſatorum furorem in hac actione intemperantia exultantem repreſſiſſet, & multa de Antiſtitis meritis & virtute dixiſſet, ſumma Regis voluntate, ac tam principum optimatum, quam totius Senatus conſenſione, idque duce *Lancaſtriæ* conſilii præſide ſententias eorum vehementer approbante & laudante, abſolutorio judicio liberatus eſt. Et ut cæteris obtrectatoribus in poſterum omnem aditum obſtruerent, una erat omnium ſententia, ut generalis abolitio criminum, negligentiarum, ac defectuum quorumcunque diplomate Regio illi concederetur: quam quidem clementiſſime indulſit æquiſſimus princeps, idque non temere, ſed adhibito conſenſu non unius, aut plurium, ſed omnium optimatum, atque adeo totius Senatus ac concilii ſuffragatione. Sic enim habent verba ipſius diplomatis.

Ex Archivis Regiis apud *Turrim Clauſ.* pro *Willielmo* Epiſc. *Winton* de perdonatione.

De gratia noſtra ſpeciali, & ex certa ſcientia noſtra, ac de aviſamento & aſſenſu chariſſimi Avunculi noſtri Johannis *Regis* Caſtellæ, *& Legionis Ducis* Lancaſtriæ, *nec non Prælatorum, Comitum, Baronum, & magnatum, ac aliorum ſapientum de conſilio noſtro nobis aſſentientium, remiſimus & perdonavimus omnino pro nobis, & hæredibus noſtris præfato Epiſcopo* Wintonienſi, *&c.*

Deinde quo plus ponderis, & honoris haberet illa Regalis conceſſio omniſque calumniandi anſa malevolis præcideretur, tanquam colophonis loco hæc verba diplomati ſuo Rex attexuit.

Eundem tamen Epiſcopum de nullis per nos ſibi (ut

(ut præmittitur) perdonatis vel relaxatis, reputamus coram Deo aliqualiter culpabilem, ſed ipſum de iis omnibus, & ſingulis innocentem tenemus penitus, & immunem.

Præterea tam idem Rex auguſtus, quam Rex *Caſtellæ* & cuncti principes, & optimates adeo ardentibus ſtudiis in ejus ſalutem conſpirabant, ut quam ille integritatem, ac fidem tam Regis avo, quam patri præſtitiſſet, in omnem æternitatis laudem in eadem Charta Regia deſcribi juberent, his nimirum verbis.

Nec non revolventes oculos mentis noſtræ ad grandia, utilia & laudabilia obſequia dicto avo noſtro, per præfatum Epiſcopum Wintonienſem *(graves & ſumptuoſos labores ſubeundo) retro actis temporibus multipliciter impenſa, & magnum locum quem præfato Domino & patri noſtro in ſuis agendis diverſimode tenuit, & ad ſpecialem affectionem, & ſinceram dilectionem, quas idem pater noſter erga præfatum Epiſcopum geſſit, & habuit dum ageret in humanis, &c.*

Quæ cum ita ſint, cum adverſariorum calumniis ſe publice liberarit, ac ita liberarit ut non Regio ſolum judicio, ſed & unanimi omnium principum, omnium optimatum, & totius Senatus, & conſilii ſententia ſit abſolutus, & horum adeo omnium illuſtriſſimo teſtimonio pronuntiatus inculpabilis, & innocens coram Deo, non minus profecto ad ejus gloriam facit falſa iſta criminatio, à tot tantiſque (quibuſcunque demum) conflata, quam illa *Arrianorum* de ſtuprata virgine & de amputata *Arſenii* manu falſa contra *Athanaſium* intentata accuſatio: adeo ut hæc

hæc mihi altius expendenti, non ope, aut consilio humano, sed plane divinitus ad laudem sanctissimi Episcopi accidisse videantur; præsertim quum non modo eum à facto, sed à conscientiæ suspicione abesse gravissimi Judices Regni pronuntiarint, plusque illi virtus sua dederit, quam malitia invidorum adimere potuerit.

Liber Tertius CAP. I.

Quam admirabili ſtudio Wicamus *ex maximis periculis elapſus, ad miſericordiæ charitatiſque Chriſtianæ officia mentem, manuſque perrexerit,* &c. *quemadmodum duo magnifica Collegia, alterum* Oxoniæ, *alterum* Vintoniæ *condiderit, ac quibus cauſis, & conſiliis ad illa condenda, ac poſſeſſionibus locupletanda incitatus fuerit: deinde quam ſalutares leges, ac ſancta ſtatuta Scholaribus ſuis præſcripſerit, ut omnes hiſce ducentis & octo annis tam* Oxoniæ *quam* Cantabrigiæ *Collegiorum fundatores formam, quam imitarentur, inde deſumpſerint, ejuſque exemplo provocatus Rex Sanctiſſimus* Henricus *ſextus duo pulcherrima Collegia,* Cantabrigiæ, *&* Etonæ *fundarit, & eadem, numero, diſciplina, & lege conſtrinxerit.*

TAndem *Wicamus* ex magnis periculorum tempeſtatibus in portum provectus, quum videret quantam rerum omnium copiam & affluentiam à Domino accepiſſet, dici non poteſt quanto ſtudio ſe indies ad miſericordiæ charitatiſque Chriſtianæ officia erga miſeros & anguſtia rei familiaris laborantes præſtanda exercuerit. Non enim illi cum divitiarum abundantia creſcebat divitiarum ſitis, neque cum plurimas poſſideret facultates, ab iis ipſe poſſidebatur; ſed verſabantur

ſabantur in ejus animo cogitationes egregiæ; meminerat ejus quod eſt in Pſalmo, *Si divitiæ affluant, noli cor apponere.* Deliberabat etiam atque etiam quemadmodum bonis, fortuniſque ſuis legitime, honeſte, ac divinæ voluntati congruenter uteretur. Ab avaritia autem, ac cupiditate tanquam omnium malorum (ut Apoſtolus ait) radice, ſic abhorrebat, ut nemo unquam magis. Itaque cum Sacerdos illiberalis, ac ſordidus apud eum accuſaretur, quod etſi dives eſſet, tamen nec vicinorum calamitates unquam ſublevaret, nec in pauperem quemquam ſibi etiam ad pedes ſtratum quicquam erogaret, pronuntiaſſe fertur prædonem illum, & alienorum invaſorem judicandum eſſe, dignumque qui ſacerdotalibus infulis exueretur, quia proximi ſui inopiæ de ſua copia non ſuccurreret.

1 *Tim.* 6.

Ex pervetuſto ſcripto *R. Hordi* quondam à ſcriniis & archivis Epiſc. *Winton.*

Quid enim (inquit) de te, tuiſque fortunis exiſtimas? Quid eſt tua de pecunia & divitiis vehemens opinatio? Sacerdotem eleemoſynas non largiri perinde eſt ac aliena rapere: eſurientium (inquam) panis eſt, quem tu detines; nudorum eſt indumentum, quod tu ſecludis; miſerorum & captivorum redemptio eſt pecunia, quam tu in terram defodis. Hac illi nobili, & heroicæ liberalitatis ac magnificentiæ mente prædito, animus in deliberando, quaſi in diverſas partes diſtrahebatur, aſſerebatque ſæpius ancipitem curam cogitandi ut ipſe de ſe teſtatur) utrum ſacra muſarum domicilia extrueret, an ædes potius hoſpitales in quibus gravi periculoſoque morbo afflicti curarentur, conderet ac fundaret; an vero indigentibus & peregrinis (unam enim eſſe Chriſtianorum Rempublicam dicere ſolebat) pecuniam ſuam ſua manu elargiretur?

In Libro Statutorum Collegii *Oxon.*

giretur? Ac certe ſemper in ore habebat, *Pauperis manum eſſe quaſi Dei ſinum, & viſcera indigentium horrea divitum eſſe debere.* Verum ea tempeſtate quæ mala ex diuturnioribus bellis, vaſtitate, ac peſtilentia plerumque naſci ſolent, ea Rempublicam, & Eccleſiam vehementiſſime onerabant. Ac potiſſimum quidem inter alia bonos viros ac prudentes ita male habebat mira eruditorum hominum paucitas, ut vereretur ne Barbaries Cyclopica hanc nationem univerſam invaſura eſſet, niſi Deus Optimus Maximus tantam peſtem averteret. Cum igitur videret *Wicamus* non ſolum leges inter arma ſilere, ſed etiam eo tempore tum in Scholis ingenuas artes conticeſcere, tum in Eccleſiis eruditam Theologorum vocem deſiderari, cœpit viam atque rationem invenire, qua juventutis animos ad literarum ſtudia amplectenda erigeret, & optima ingenia ad virtutem & Sanctimoniam alliceret, ut eſſent, qui ignorationis caliginem ac tenebras, quas ſuperiorum temporum infælicitas offuderat, diſcuterent; ac *Zizania* ab inimico homine nocte, hoc eſt, non collucente Evangelii ſole diſſeminata, radicitus evellerent, ac ſemen religioſæ pietatis uberius, ac latius ſpargerent, Chriſtumque ſtudioſiſſime ac ſcientiſſime evangelizarent. Itaque etſi eximia in pauperes benignitate uti nunquam intermittebat, tamen ad bonarum literarum ſedes collocandas, eaque prædiis, reditibuſque annuis amplificandas propenſiore animi voluntate inclinabat. Ut enim Ægyptiorum ſpolia Iſraelitis uſui fuerunt, ſic multa ex profanis ſcriptoribus deſumpta Eccleſiæ paſtoribus prodeſſe; & ut pio *Abrahamo* juncta eſt *Agar Ancilla*, ſic Philoſophiam aut Juriſprudentiam eſſe cum Theologia

Hieronymus.

Theologia copulandam cenſebat; *Moyſis* ac *Danielis* in hoc exemplo ſecutus, qui omni ſcientia *Ægyptiorum* & *Chaldæorum* eruditi fuerunt. Quum igitur hoc tum Reipublicæ utilius, tum Deo gratius certo ſibi perſuaderet fore, omne ſtudium, & curam cogitationis ſuæ ad illa duo *Oxonii* ac *Vintoniæ* Collegia condenda ac locupletanda convertit, ut in iis Muſarum ac Gratiarum domiciliis ſelecta ingenia certo numero, diſciplina, lege ſimul viverent, & ex hac ſegete ad Eccleſiæ & Reipubliæ fructum, duce & auſpice Chriſto, uberrima meſſis proveniret. Ac primum quidem cum Collegii ædificandi poteſtatem legitime impetraſſet, eaque ſuper re, diploma Regium accepiſſet, in honorem Dei ac Deiparæ Virginis primum lapidem ſuo *Oxoniæ* Collegio quinto die *Martii* ſummo mane poſuit, anno Chriſti milleſimo, trecenteſimo, ſeptuageſimo nono, anno Regni Regis *Richardi* ſecundi tertio, ætatis vero ſuæ quinquageſimo quinto, & conſecrationis ſuæ duodecimo. Cui quidem Collegio centum perſonarum numerum præter famulatum deſtinavit. Illic enim ſimul eſſe, alique ac ſuſtentari voluit ſeptuaginta ſcholares ad optimarum artium ac diſciplinarum ſcientias perdiſcendas, quorum (ut plurimum) ſexaginta plus minus eodem tempore ſociorum & nomine, & perpetuitate fruuntur; & virum unum gravitate, doctrina & fide excellentem, qui reliquis præeſſet, Cuſtoſque diceretur; & ſacellanos decem, Clericos tres, & Symphoniacos pueros ſedecim, quos vocant Choriſtas. Illud vero expreſſa lege ſancitum, ne quiſquam extraneus in convictorem, aut commenſalem intra gremium Collegii admittatur. Hoc magnifico & præclaro opere

Daniel. 1. *Exod.* 3. & 11.

Cbaundelerus in vitam *Wichami.* *Hereſius* Cap. 1. de Fundatione Collegii. At vetus Regiſtrum Collegii habet 1377.

Libro Statutorum.

opere intra ſeptennium effecto, & abſoluto, Cuſtos, & Scholares, ac cæteri, quos commemoravimus à Fundatore nominatim electi, primum pedem in eo ponunt hora tertia matuina deciino quarto *Aprilis*, anno gratiæ 1386, & ante omnia ſummi Dei præſidium ſuppliciter invocant, ſeque ac ſua ſtudia ejus divino numini publica oratione & ardentibus votis commendant. Proximo anno exeunte aliud pulcherrimum Muſarum domicilium *Wicamus* (poteſtate ut prius rite impetrata) in auſtrali ſuburbio *Vintoniæ* juxta Epiſcopale palatium *Wolveſeii* collocare ſtatuit, quod Collegio ſuo *Oxonienſi* quaſi fons & ſeminarium inſerviret, ex cujus (ut ita dicam) utero junior alia ſoboles quotannis naſceretur, & in alterum Collegium decreſcentium loco veluti ad patres literarum ac Senatores immigraret. Eſt enim hoc illius Collegii *Oxonienſis* proprium & peculiare, ejuſque ſtatutis ſancitum, ut cum cætera Collegia *Oxonienſia* in demortuorum aut diſcedentium locum ex ſcholis quibuscunque aſcititios cooptare ſoleant, ſolum hoc non niſi naturales ex ſeminario ſuo *Vintonienſi* velut ex ſua & propria ſtirpe ſuccreſcentes eligat, & electos ad ſe tanquam ad novam *Coloniam* ſuo tempore & loco deducat. In illo igitur *Vintonienſi* Collegio primum lapidem 26 menſis *Martii* poſuit, anno à partu Salutis humanæ 1387, anno Regni *Richardi* ſecundi undecimo, anno conſecrationis ſuæ viceſimo, & ætatis ſexageſimo tertio.

Heretius in Epitome de vita Fundatoris. *Chaundelerus* in vita ejuſdem.

In quo quidem centum & quinque numero Clericos, præter famulos, collocare decrevit: Præfectum videlicet, qui Cuſtos appellaretur, decem perpetuos ſocios presbyteros, ſeptuaginta pueros Scholares, didaſcalum,

daſcalum, hypodidaſcalum, tres Sacellanos conductitios, tres Clericos, & ſedecim ſymphoniacos pueros. Dum autem omnia momenta obſervaret, ut, quod cum ſpe magna ac mirifica præparatione exorſus eſſet, ad exitum optabilem perduceret, ecce Rex *Richardus* multis argumentis ejus fidem, gravitatem, & prudentiam ſingularem expertus, ſibi propius eum adjungere, & à curſu priore ad ſumma Reipublicæ gubernacula denuo moderanda revocare inſtituit. Itaque *Thoma Arundellio* Archiepiſcopo tum *Eboracenſi* amoto, Regio juſſu & optimatum deſiderio *Wicamus* ad Aulam reverſus (quum nullus deprecandi vel recuſandi daretur locus) magnum Sigillum iterum accepit 4. *Maii*, anno ab humani generis Salute 1389, anno Regni *Richardi* ſecundi duodecimo. Quo quidem ampliſſimo Reipublicæ munere dum ille per triennium perfungitur, adeo Dei ſingulari beneficio omnia & Regi ſecunda, & ſubditis tranquilla obtigerunt, ut tempora priora in ruinis Reipublicæ jacuiſſe, hanc vero *Wicami* adminiſtrationem heroicam plane ac divinam diceres extitiſſe. Quo factum eſt ut in hoc magiſtratu deponendo major illi difficultas, quam in accipiendo voluntas fuerit. Quum tamen (pro ea qua erat prudentia) multo ante (tanquam ex ſpeculo) proſpiceret quanta impenderet procella Reipublicæ, & quam turbulenta tempeſtas appropinquaret, quotidianis precibus à Rege contendit, ut ab Aulicis turbis, forenſique ſtrepitu ſibi liceat diſcedere, idque ſummi beneficii loco impetrat. In ejus autem locum denuo ſuffectus eſt *Arundellius* 26. die *Septembris* anno Regni ejuſdem Regis 15.

Rex deſignat *Wicamum* Cancellarium quamvis plurimum renitentem. *Tho. Walſingam.*

Ex Archivis Regiis apud *Turrim Londini.*

Cum igitur *Vintoniam* eſſet reverſus, & ædificationem

Ex antiquo regiſtro Collegii *Winton.*

nem Collegii jam antea inchoatam intra biennii ſpatium, aut circiter, à reditu abſolviſſet, virum inſigni fide, doctrina, ac pietate præditum *Johannem Moriſum* Cuſtodem, ac *Johannem Miltonum* gymnaſiarcham conſtituit, itemque reliquos ad numerum centum & quinque perſonarum (ut ſupra diximus) ſua nominatione cooptavit. Potiſſimum autem hæc duo ſpectabat, primum ut Sociis, Sacellanis, Clericis, & pueris ſymphoniacis cultus divinus quotidie in ſacrario ſuo publice ac ſolenniter procuraretur. Deinde ut illi ſeptuaginta ſcholares verborum interpretationem, pronuntiandi ſonum, oratorum & poetarum intelligentiam, hiſtoriarum cognitionem, & quicquid ad humaniorum literarum ſtudia pertinet, docerentur.

Hi omnes Collegium illud *Vintonienſe* (ſancte ac religioſe Chriſti numine implorato) intrant hora tertia matuina 28. menſis *Martii* anno à partu Salutis humanæ 1393, anno Regni Regis *Richardi* ſecundi 17, ætatis autem fundatoris 74, & conſecrationis ejuſdem 26. Quæ duo Collegia jam magnifice conſtructa & perfecta, tam præclaris legibus, ſtatutiſque fundavit, prædiiſque ac poſſeſſionibus locupletavit, ut *Henrico ſexto* Regi inſigni pietate (qui duo ampliſſima Collegia ad ejus exemplum *Cantabrigiæ* atque *Etonæ* poſtea condidit) ac pleriſque aliis ad ducentos (plus minus) annos elapſos tam *Oxonii*, quam *Cantabrigiæ* Collegiorum fundatoribus ac patronis formam, ac quaſi Ideam quam imitarentur propoſuiſſe videatur. Eos enim videmus in ſtatutis, ac legibus ſuorum Collegiorum deſcribendis tam religioſæ *Wicamica* ſtatuta obſervaſſe, ut non ſolum integras ſententias

tentias inde desumpserint, verum etiam eisdem pæne verbis in omnibus periodis inhæserint. Quid? quod idem *Henricus* ad *Etonenses* gymnasii amplificationem *Wainfletum* ab *Wicamico* Collegio *Wintonienſi*, ubi ille tunc erat, una cum quinque ejusdem Collegii Sociis (ut vocant) & triginta quinque scholaribus ingenii, & eruditionis laude præstantioribus *Etonam* traduxit, ut Regii pueri *Etonenses* à *Wicamica Vintoniæ* Schola tanquam à matre primum lac suxisse videantur. Ex Archivis Coll. *Winton.*

LIB. III. Cap. 2.

De sumptuosa structura Ecclesiæ Cathedralis Vintoniæ, *quam* Wicamus *anno pontificatus sui* 28. *à fundamentis erexit, & quam incredibilem præterea pecuniam in charitatis & misericordiæ officiis, tum etiam in libertatibus, & latifundiis tam Collegiis suis quam Ecclesiæ suæ procurandis insumpserit. Deinde cum* Londinum *ad summa Regni comitia veniret, subito in præsentia omnium Senatorum & optimatum, majestatis accusatur. Mox ab ipso Rege magno omnium applausu absolvitur, ejusque accusatores ultore capistro dignas luunt pœnas. Ipse post testamentum conditum, ac codicillos summæ pietatis plenos, fidei suæ professionem reddens, octogintarius & amplius in Domino moritur.*

JAm vero an horum ædificationis Collegiorum, amplissimorumque proventuum ad alendos, ac perpetuo

petuo ſuſtentandos tot bonarum literarum ſtudioſos acquiſitiones in ſumma *Wicamum* difficultate nummaria non poſuerunt? Annon omnes facultates illi pecuniarias adeo excuſſas, & exhauſtas penitus fuiſſe credibile eſt, ut ad alia ſumptuoſa pietatis opera aut nihil aut parum admodum ei ſupereſſet? Imo vero tam incredibilis, ac (pæne dixeram) ſingularis elucebat in illum divini numinis munificentia, ut quo plus epoti eſſent fontes, eo plus ſcaturire viderentur, & circumfluere: *Vintoniæ* eſt Eccleſia Cathedralis Eccleſiæ divi *Pauli Londinenſi* majeſtate ferme par, venuſtate quidem (ut nonnullis videtur) ſuperior. Ejus navem, & quicquid à Choro occidentem verſus ſpectat (præter pauxillum quiddam ab *Edintono* inchoatum) *Wicamus* quadrato lapide cum duabus pulcherrimis alis, ac feneſtris vitreis, ac valvis ſingulari artificio perfectis, à fundamentis extruxit, anno Regni *Richardi* ſecundi 18, Epiſcopatus ſui 28.

Quod quidem opus tam vaſtæ molis, ac tam latæ magnitudinis latitudiniſque ſi propius intueri libet, Regis alicujus opes, atque gazas in hujus unici templi ſtructura erogatas eſſe credas; verum enimvero hos ſumptus quamvis immenſos, & propemodum incredibiles ſi cum aliis ejus impenſis comparentur, nullos eſſe dixeris.

Nam ut illas admirabiles largitiones quas in decurſu ætatis fecit, atque in teſtamento & codicillis reliquit, prætermittam: immunitates, ac libertates Eccleſiæ ſuæ inſignes procuravit, pontes, atque vias publicas, non ſolum inter *Londinum* & Civitatem *Winton*, verum etiam in Comitatu *Eſſexiæ* à *Chenſfordia Londinum* uſque, aliiſque plurimis in locis grandi

Ex Scaccario Epiſcopi *Winton.* deſumpta, nec non ex Regiſtro penes Regiſtrarium principalem Epiſcopi.

grandi pecunia ſtravit, complures officiarios & miniſtros Epiſcopatus in anguſtiis pecuniæ hærentes 2000. marcarum debito relaxavit. Pauperes perpetuis carceribus æris alieni nomine mancipatos, quos domeſtica difficultas, & anguſtia rei familiaris depreſſerat, 2000 librarum perſolutione è ſqualore & vinculis liberavit. Quum villici ſui (quos firmarios ac Tenentes vulgus appellat) quingentas viginti libras illi pro recognitione (ut moris eſt) in primo cujuſque Epiſcopi adventu debitas, ac perſolvendas offerrent, liberaliter eiſdem eam pecuniam è veſtigio remiſit & condonavit. Cum capitatio, ſeu tributi indictio in capita, in Parliamento in ſingulos homines ex cenſu conſtitueretur, *Wicamus* ſingulari miſericordiæ exemplo ter villicos ſuos ab hujuſmodi gravis ſubſidii ſolutione relevavit. Huc accedit, quod in ædificia, molendina, & ſtagna quæ ad Epiſcopatum ſpectabant reficienda viginti millia marcarum (ut ea ætate ratio inibatur) impendit; qua quidem ſumma ad prædictos ſumptus in poſterum ſuggerendos ſedecim Maneria & *Latifundia* acquiſivit (quæ ſeſtertia centena hodie valere dicuntur) eademque hæredi ſuo proximo *Thomæ* de *Wicam* per fidei commiſſum reliquit. Præterea pueros etiam complures (ut ex Archivis Collegii *Wintonienſis* conſtat) extra eos qui in Collegium fuerant adſcripti, in urbe, atque Suburbiis *Wintoniæ*, qui una cum alumnis ſuis in Collegio inſtituerentur, ſuis ſumptibus alluit. Magnæ quidem iſtæ largitatis ac munificæ pecuniarum profuſiones, quæ *Wicamum* non ſolum ampliſſimis fortunis, ac rebus ad votum fluentibus abundaſſe arguunt, verum etiam heroicam mentem in divitiis recte, & honorifice

Ex Archivis Collegii *Winton.*

honorifice collocandis habuiſſe oſtendunt. Verum ita ſunt res humanæ fluxæ & inſtabiles, ut proſpera adverſis, ac læta principia triſti exitu ſæpenumero concludantur. Quotus enim quiſque in eo ſtatu unquam fuit, quem neque fortunæ inconſtantia percelleret, neque invidorum labefactaret injuria? Itaque quod in omni regno, & libera civitate clariſſimis Reipublicæ moderatoribus uſu veniſſe legimus, ut aliquando vitæ, ac fortunarum diſcrimen ſubierint, idem in *Wicami* vita obſervandum, animadvertendumque præmonſtramus, qui talia tantaque rerum humanarum ludibria expertus eſt, ut in tam honeſto vivendi curſu prudenter inſtituto mirum ſit tam horribiles rerum viciſſitudines accidiſſe. Qui enim antea opibus, ac omnium rerum copia affluebat, qui in ampliſſimis honoribus fortuniſque maximis vixerat, qui à duobus Regibus in ſummo totius Regni magiſtratu bis fuerat collocatus, is commutata temporum ratione, tres indigniſſimas calamitates ſubiit, falſique accuſatus, & perduellionis arceſſitus, ter in extrema fortuna ſtetit. Præterquam enim quod primum coram *Skipwitho* judice, anno Regni *Edwardi* tertii 48. deinde coram conſulariis ac proceribus Regni, anno Regni *Richardi* ſecundi primo, reus factus eſt, ecce an. à Chriſto nato 1397, & Regni *Richardi* ſecundi 21. in plenis Comitiis *Weſtmonaſterii* habitis *Buſheus* quidam, unus ex triumviris capitalibus à Rege deſignatis, atque os militum ac Burgenſium, qui tum popularem in Parliamento ſtatum repræſentabant, primo *Gloceſtriæ* Ducem, & *Richardum* Comitem *Arundelliæ* accuſavit majeſtatis, quod ii ope & opera *Arundelli* pridem *Eboracenſis*, nunc *Cantua-*

Annales *Stowi.*

Cantuarienſis Archiepiſcopi, & ſummi Regni Cancellarii à *Richardo* Rege anno Regni ejus 18 ſub magno *Angliæ* Sigillo committi vi atque dolo malo procuraſſent, quo ſibi cæteriſque in eo delegationis diplomate nominatis fas eſſet in quoſlibet Regis ſubditos regalem pro lubitu exercere poteſtatem. Et quia in eodem ſcripto delegatorio nomina *Edmundi Langlei* Ducis *Eboracenſis*, & *Gulielmi Wicami* Epiſcopi *Wintonienſis*, ac complurium aliorum clariſſimorum totius Regni procerum, ac præſulum deſcripta inveniſſet, omnes illos ſimul ac conjunctim proditionis, ac læſæ Majeſtatis reos fecit, perinde ac ſi illi Regem Regio imperio, ac omnium rerum dominatu deſpoliare ſtatuiſſent. Dum iſtæ turbæ *Londini* fierent, ac periculum capitis *Wicamo* crearentur, quid *Wicamicos Oxonii*, ac *Vintoniæ* alumnos? quid omnes per totam diœceſim *Vintonienſem* reverendi Patris ſubditos egiſſe putas? quid? orant, jejunant, ſupplicant. Quid Rex? quid Parliamentum ſtatuit? Rex ad interrogatum *Buſhei*, quod ad Ducem *Gloceſtriæ*, ac duos *Arundellios* attinebat, comperendinandum cenſuit. At de reliquis de delegationis inſtrumento comprehenſis ſcelere, eos & reatu cum omnium ordinum in illo conventu honorario ſuffragatione, ac lætitia, liberavit.

Quo facto non ſolum calamitatem *Wicamo* detraxiſſe, ſed etiam dignitatem auxiſſe viſus eſt. Quid enim ei ad immortalem nominis gloriam honorificentius evenire potuit, quam in publicis Regni comitiis coram ſummo Senatu, & ampliſſimo nobiliſſimorum ac procerum cœtu, ſententia Regia abſolvi, & innocentem declarari? Itaque è veſtigio Dux *Langleus*

Wicamus in Parliamento ſententia Regia abſolutus.

leus & *Wicamus*, proſtrati ad pedes principis, ſingularibus verbis gratias illi ingentes lacrymis permixtas egerunt, quod illius Regali Majeſtati, non opinione ſolum, verum etiam ad veritatem ita perſuaſum eſſet de illorum innocentia atque fide, quæ duo ſe illi in reliqua vita religioſiſſime præſtituros ac ſervaturos ſanctiſſime promiſerunt, & præſtiterunt.

Johannes Stowus in annalibus.

Quid? quod etiam à die hujuſmodi diplomatis, à Rege conceſſi, quod *Buſheus* ut ſurreptitium criminatus eſt (ut ante dixi) jam triennium fere effluxerat, neque interea temporis *Wicamus* ſe aliquando illis negotiis immiſcuiſſe, aut tale in ſe jus, atque authoritatem extraordinariam unquam aſſumpſiſſe probaretur? Imo cum talis poteſtas extraordinaria conſenſu & ſuffragatione omnium ordinum in plenis comitiis Parliamenti eſſet ei nec petenti nec optanti tributa, tam ab omni dominandi cupiditate, & ambitione averſus fuit, ut ab ea ſe penitus abſtineret. Itaque ejus ſceleratiſſimi triumviratus ne poſteritas quidem omnium ſeculorum immemor erit, cui *Buſheus, Grenus*, & *Bagotus* præficiebantur, qui in domicilio ſuperbiæ, atque in ſedibus luxuriæ collocati, cuilibet quantavis Sanctitate ac nobilitate præcellenti, criminationibus ſuis & calumniis periculum inferre non reformidarint. Itaque ex horum verius monſtrorum quam hominum carnificina & tyrannide jam tandem *Wicamus* fœliciſſime elapſus, ac liberatus, viſo (ut eſt moris) & ſalutato Rege, cæteriſque principibus, ac Senatoriis viris ſupremo vale dicto, reliquæ vitæ ſedem *Vintoniæ* deſtinavit, ubi per integri curſum ſeptennii, & amplius, omnipotens Deus uſuram hujus lucis

Busheus, Grenus, & *Bagotus* qui accuſabant *Wicamum* læſæ majeſtatis.

Wicamus immunis ab omnibus inteſtinis & civilibus motibus.

cis illi, vitamque ſine ulla contentione quietam, & tranquillam largitus eſt, quum per cæteras totius Regni Regiones periculoſiſſime ut plurimum Reſpublica turbaretur, & civilibus ac inteſtinis bellis omnia conflagrarent. Etenim ex illo infami triumviratu ac principum virorum internecione, quotidianaque ſubditorum expilatione tam hoſtile odium in Regem, atque invidia capitalis exarſit, ut *Henricus* Dux *Hereſordiæ* (cui tunc exulanti Ducatus etiam *Lancaſtriæ Johannis Gandavenſis* patris ſui morte obvenerat) & duo *Arundelli* Archiepiſcopus, & Comitis *Arundelliæ* antea interempti filius in *Angliam* ab exilio conjunctis copiis reverſi, omniumque fere animos à Rege per avaritiam eorum qui negotia publica ipſius nomine gererent, & improbiſſima ratione prædarentur alienatos eſſe perſpicientes, & vero etiam exercitu ſexagies mille militum coacto freti, aperto Marte Regem laceſſerint, eumque partim fugam ſuorum pertimeſcentem, partim in anguſtiis poſitum, ad deditionem nullo negotio compulerint. Nec ita multo poſt Rex ipſe Regni moderatione & poteſtate omni ſe abdicavit quum annum jam ſecundum & vigeſſimum & tres menſes regnaſſet. Cum autem *Henricus Herfordiæ* & *Lancaſtriæ* Dux (*Johannis Gandavenſis* filius) paucis poſt diebus interjectis Regni gubernacula ſuſcepiſſet, ecce divini numinis vindictam in illos improbos calumniatores *Buſheum*, *Grenum*, & *Bagotum*; omnibus enim poſſeſſionibus & fortunis, quas injuſtiſſime corraſerant, juſtiſſime mulctati, ultore capiſtro dignas ſuo ſcelere pœnas Reipublicæ dependerunt. Deinde *Richardus* quoque qui Regni jactura

Richardus Rex per Archiepiſcopum *Eboracenſem* & *Hertfordienſem* Epiſcopum procuratores à ſe conſtitutos per publicum reſignationis inſtrumentum in Parliamento lectum omni Regni poteſtate ſe orbavit 13. *Octob.* 1399.

ctura vitæ uſuram ſe redempturum ſperarat, non diu poſt vixit, ſed vitæ dubius, quum ipſe vim in proceres ac principes viros intentarat, eam nunc (licet reliquiis Regii nominis major reverentia deberetur) in ſe acerbiſſime retortam ſenſit. *Wicamus* interim ab omnibus hiſce turbulentis comitiis, & arduis Reipublicæ negotiis, utriuſque Regis permiſſu vacationem nactus, & jam quaſi *Rude donatus* reliquam vitam (ut commodius ad cœleſtem immortalitatem aſpiraret) Eccleſiæ ſuæ curationi rectionique dabat, & nunc Diœceſim ſuam (ut potuit per ætatem; erat enim is corpore magis quam animo ſenex) viſitando luſtrabat: nunc orphanorum & viduarum ſolitudini, atque inopiæ præſidio erat, graveſque pauperum calamitates facultatibus ſuis ſublevabat: nunc duo Collegia ſua, pulcherrima videlicet bonarum artium domicilia, quæ *Oxonii* ac *Vintoniæ* collocaverat, amplificare, & ornare pergebat. Quia vero deliria potius quam teſtamenta judicabat, quæ nonnulli in articulo mortis & intercluſi ſpiritus anguſtiis, vocibus interruptis, ac morientibus conficiunt, ille tabulas teſtamentarias ante aliquot luſtra conditas in medium proferri juſſit. In quibus (Deus bone!) quæ pauperibus & egenis, quæ ſingulis parochiis per univerſam provinciam, quam Dominus ei aminiſtrandam dederat, relicta inveniuntur? ut taceam, quæ conſanguineis & propinquis moriens legavit, quæque bonarum literarum ſtudioſis, fidelibus famulis, viduis egeſtate laborantibus, hominibuſque in carcerem & cuſtodias incluſis in codicillis largitus eſt. Nulla fere erat Eccleſia in tota Diœceſi, quam ille non amplis donis, & egregia munificentia

Rogerus Hordus. Tho. Vaſſeus.

munificentia dotaverit. Ad hæc Regi etiam ſuo, cujus perliberalia & cumulata beneficia in ſe & Collegia ſua ſenſerat, legatum non contemnendum, quod eſſet μνημόσυνον ſuæ in illum obſervantiæ reliquit. Quæ quidem legata, & dona pietatis (ut ex Archivis fideliſſimis conſtat) ad 6270 libras æſtimata ſunt. Reliquum vitæ tempus in eleemoſynis, jejuniis, precibuſque, ac meditationibus quæ ad ſempiternam vitam pertinebant, protrahebat, nec ullum punctum temporis, ne tum quidem quum alterum pedem habebat in ſepulchro, intermittebat, quin verba vitæ & cœleſtis Oraculi vel publice vel privatim quantumvis debilis, & langueſcens audiret. Ex Monumentis *Lambeth.*

Quod ad ejus fidei profeſſionem attinet, in uno Deo, & ejus filio Jeſu Chriſto generis humani redemptore, ac liberatore ſe ſpem omnem ſuæ ſalutis ponere, palam teſtatus eſt, idemque aliis faciendum; nec tutelare ſubſidium aliunde expectandum, ex verbo Dei ſæpius in vita edocuit. Deinde quum ſibi juſſu ſummi Imperatoris de præſidio ac ſtatione vitæ videret decedendum, nec amplius per ætatem munus officii exequi & tueri poſſe, ita ſe adhibuit, ut in extrema vitæ perfunctione inſita pietatis, & conſtantiæ inſigne ſpecimen daret. Nam valedicens ſeculo, & à propinquorum, atque amiciſſimorum circumſtantium corona averſus, tam oculis, quam manibus ad cœlum erectis, ductiſque ab imo pectore ſuſpiriis, miſericordiam miſerentis Dei implorare perſeveravit, ac non tanquam moriturus, ſed velut de peregrinatione ad patriam, velut à morte ad vitam, velut à ſervitute tranſiturus ad gloriam, ut citiſſime poſſet diſſolvi, & eſſe cum Chriſto ſuppliciter ſanctiſ-

 ſimam

ſimam Trinitatem exoravit, ac in plena fide Catholica moriens, poſt modici temporis intervallum reddidit ſummo Deo ſpiritum, anno Chriſti 1404. anno Regni *Henrici* quarti ſexto, & ætatis ſuæ uno & octogeſimo, videlicet in anno ſuo Climacterico maximo, qua quidem ætate divinum illum Platonem philoſophorum principem obiiſſe legimus.

Cicero de ſenectute.

LIB. III. CAP. 3.

De funere, ac ſepultura Wicami, *nec non de moribus ejuſdem, atque excellentibus animi dotibus brevis narratio: deinde diluuntur quinque per coutumeliam in eum objecta, nimirum quod ne mediocriter quidem erat doctus, quod erat ſervilis conditionis, quod per ſecreta confeſſionis* Philip. *Reginæ reſerata, ducis* Lancaſtriæ *nativum ſtatum in quæſtionem vocavit, quod in gratiam ſui principis, & ad bona Epiſc. temporalia fiſco adjudicata opera meretricis* Aliſiæ Pereſiæ *reſtitutus eſt, quod exilio mulctatus in exteris partibus aliquot annos hæſit, quibus omnibus nihil mendacius.*

Illud ſuggeſtum *Hornus* Epiſcopus, ne nihil in Epiſcopatu ſuo feciſſe videretur, ad aliam Columnam tranſtuliſſet.

MOrtui vero corpus in *Sacello*, quod ipſe plus decennio antea in navi Cathedralis Eccleſiæ *Vintonienſis* una cum cum præclaro ſuggeſto ad cultum & honorem prædicationis Evangelii ad auſtralem columnam extruxerat, honorifico & egregio ſepulchro impoſitum eſt. Ad diei autem ſupremi celebritatem tantus concurſus nobilium atque omnium

nium ordinum dicitur extitiſſe, quantus maximus poſt hominum memoriam uſpiam viſus eſt; pauperum vero, & egentium quantum urbs univerſa & ſuburbia capere difficulter potuerunt: quibus omnibus tanta largitio facta eſt, ut (quod hoc genus hominum raro agnoſcit) abunde ſibi ſatisfactum exiſtimarent. Luctus tamen etiam poſt tempus luctus illis continuus. Alii lumen & ornamentum Reipublicæ, alii decus & gloriam Eccleſiæ, alii præſidium literarum, & bonorum perfugium ademptum eſſe graviſſime conquerebantur. At qui rem non ſenſu humano, ſed ſalute æterna metiebantur, non putabant ejus mortem tam impotenter ferendam eſſe. Sic enim cogitabant, ſatis eum & ſibi vixiſſe & gloriæ, amiſiſſe vitam at non perdidiſſe, amiſiſſe animam ſed potitum eſſe cœlo, tenebras reliquiſſe ut ad lucem, homines ut ad Deum accederet.

Itaque quis mortem lugendam eſſe cenſeret quum immortalitas conſequatur? Fælicitatem illi in vita (ſi qua ſit in rebus humanis) longe maximam nonnulli tribuerunt: cæterum eam non tam fortunæ (ut vulgus imperitorum exiſtimare ſolet) quam divino beneficio, quod virtutibus illius favebat aſcribendam. Neque tamen negari poteſt, in ſecundiſſimis temporibus quædam illi adverſiſſima accidiſſe. At hoc ejus laudis erat quod quemcunque caſum fortuna invexit, moderate & quiete tulit. Is enim erat, qui nec rebus ſecundis inflari, nec adverſis dejici poſſet, ex quo fortitudo, & tres ejus Comites, excelſi animi magnitudo, patientia, & rerum humanarum contemptio clariſſime in eo relucebant. Cum ſumma gravitate ſummam comitatem atque humanitatem

ita conjunxit, ut ſe affabilem omnibus, familiarem paucis præbuerit. Nihil porro expetendum putavit, niſi quod eſſet cum laude & honeſtate conjunctum: denique in omni vita erat continens, natura benignus, religione pius. Non illi luxus Aſiaticus, non Sibaritiæ aut exquiſitæ menſæ, ſed epulæ Præſule Chriſtiano dignæ, & Evangelii lectione, doctorumque ſermone magis quam coquorum artificio conditæ. Nam quod eum quidem humanitatis, & literarum expertem putarunt, ex eo forte quod Doctoratus laurea nunquam inſignitus fuerit, aut quia in Baſilicis, ac Caſtris principis accurate condendis aliquando verſatus ſit: certe qui ſic ſcripſerunt aut ſenſerunt, toto (ut dicitur) cœlo errarunt. Nam ut illud omittam quod liberalibus diſciplinis cum *Vintoniæ* tum *Oxoniæ* fuerit inſtructus, & in mathematicis evaſerit doctiſſimus, certe non eſt veriſimile Regis vel Sacellanum vel Confeſſorem Theologiæ fuiſſe imperitum. At is & Sacellanus Regi, & Confeſſor fuit, & (ſi *Thomæ Vaſſeo* credimus) divinarum literarum ſcientiſſimus. Deinde alia ejus munera ampliſſima percurrito: An tantorum Regni negotiorum multitudinem, magnitudinemque eum obire potuiſſe, aut tot immortalitatis laude digna confeciſſe, ſine bonarum literarum adjumento credis? Magnum eſt in Republica tueri perſonam Conſiliarii, ac Senatoris: at præſidis conſilii, & principis perſonam in ſenatu ſuſtinere, num tu exiſtimas quemquam literarum expertem poſſe? Magnum nomen, magna dignitas, magna majeſtas Cancellarii ſicuti præfecti prætorio apud Romanos qui ejuſdem erat authoritatis, & poteſtatis. Quid? an tu ſine literis, & ingenio hoc munus

Tho. Vaſſeus in vita *Wizami.*

Badeus, Tiraquellus, Salaminius, Morelius

munus præſtari, aut explicari poſſe putas? an probabile videtur eum à duobus Regibus illo ampliſſimo magiſtratu digniſſimum fuiſſe judicatum, & tamen indoctum, & indiſertum fuiſſe? Cum in ſummo totius Regni concilio (quod Parliamentum vocatur) nobiles illi, & dynaſtæ qui ſeptentrionales Regni oras incolunt, ſubſidiariam pecuniam Regi (ut moris eſt) ſuffragiis populi tunc conceſſam ſibi adjudicari vehementer flagitarent, quod ipſi Scotorum & crebras incurſiones impedirent, & hoſtiles conatus reprimerent, & repentinos impetus frangerent, quis obſecro hujus rogationis diſſuaſor extitit? homo ſcilicet obſcuri loci, aut terræ filius neſcio quis, inops & ab amicis, & ab exiſtimatione, ſine virtute, ſine ingenio, ſine arte, ſine literis, in centuriatis comitiis omnes omnium ordinum in ſuam ſententiam perduxit? Annales *Stow.*

Quid animi fuiſſe putas *Richardo* Regi quum *Wicamum* anno Regni ſui ſeptimo una cum *Courtneo Cantuarienſi* Archiepiſcopo *Oxonium* contra virum acerrimum *Johannem Wickleſum* mitteret? An mediocris eruditionis, & ingenii eſſe oportebat, qui (quod ille ibi præſtitit) diſſentientes in religione opiniones conciliaret, & tam celebrem & acutum virum ſuſpectæ fidei redargueret, & ex Academiæ finibus exterminaret? Quid hic commemorem ejuſdem literas ad utrumque Collegium ſuum graviter & accurate ſcriptas? quid præceptiones doctiſſimas quas ille ad Monachos ſuæ Eccleſiæ reformandos ſingulari libro complexus eſt? quid illas ſalutares leges, & ſancta jura ab eo eleganter conſcripta repetam? quibus juventutem *Wicamicam* variis diſciplinis deditam apte regi & gubernari, & quaſi politiam literariæ Reipub- Ex Regiſtro *Lambeth.*

licæ conſtabiliri voluit? cum in illis deſcribendis non ſolum cæteris fundatoribus primus lumen ingenii accenderit, viamque regendi præmonſtrarit, verum etiam tam aptis & ſignificantibus verbis expreſſerit, nihil ut vel ad neceſſitatem plenius, vel ad utilitatem accommodatius, deſcribi, aut deſcriptis addi poſſe videatur. Negari certe non poteſt, divinam in eo fuiſſe ingenii vim, ac ſingularem ſapientiam cum ſumma doctrina conjunctam.

Quicquid igitur obganniant contra eum Epiſcopomaſtiges, erat *Wicamus* ingenii & literarum gloria nulli, aut ſaltem paucis ſuæ ætatis Epiſcopis inferior. Sed atrociſſima videtur eſſe in manes illius ampliſſimi viri injuria, quod nonnulli ſervilis conditionis ei labem aſpergunt. Tantum autem abeſt, ut id planum faciunt, ut ne argumenti quidem quicquam, aut probabilitatis adferant. Si quæris quibus inſtrumentis antiquis, quibus idoneis teſtimoniis nitantur, tacent; ac ſane cum tacent, clamant nihil horum eſſe, quod proferre poſſint. Si ſciſcitaris cujus eum fuiſſe ſervum velint, obmuteſcunt, quaſi is fuerit *Wicamus* ut non referret cujus eſſet. At illius peculium non ſane ita fuiſſe contemnendum videtur. Veruntamen illius dominum nemo omnium mortalium viderat, aut de nomine noverat. At (fortaſſe dixerint) vindicta ſuaſo Prætore receſſit, aut aliquo modo manumiſſus eſt. Rurſum quæro quod prius, ubi ſunt literæ, tabulæ, acta forenſia, aut inſtrumenta ulla, quæ fidem faciant? Rurſum urgeo, ac flagito, quis fuerit Dominus à quo rem tam inæſtimabilem nactus ſit? Hic etſi nihil dici potuit vere, fingendum erat aliquid ſaltem commode. Manumiſſus eſt? à quoquo tempore? quo loco? quis libertatis adjutor, aut ſervitutis deprecator fuit?

fuit? certe neſciunt prorſus, & tamen ſervum fuiſſe innuunt. Multa ſunt falſa, quæ tamen argui ſuſpicioſe poſſunt. Hic profecto perſpicuum eſt ne tenuiſſimam quidem ſuſpicionem eſſe. Quid? num ejus vultus, geſtus, color ſervilis erat? Num ſerviles mores? Num ſervile ingenium? Imo hæc, & alia quæ erant in eo multa (ut libro primo oſtendimus) ingenuitatem clamitant. Quid? Num virtus, quæ ſemper & ubique libera eſt, in hoc viro ſervilis erat?

Denique ſi nihil cauſæ reperiatur, cur ſervus fuiſſe exiſtimetur, tamen ne maledictum iſtud ex trivio arreptum non conticeſcat. Ego certe cauſas reperio graviſſimas, cur eum ita liberum fuiſſe judicemus, ut ex majoribus ipſius nemo unquam ſervitutem ſerviiſſe videatur. Si enim ſecus eſſet, an ad ipſius ſtirpem, ac genus tot honeſtæ familiæ, tam nobiles viri genus ſuum referrent, deque ejus cognatione tanquam pro aris, & focis dimicarent? An *Sibylla*, quæ *Wicami* mater fuit, cum eſſet clariſſimi viri *Strattoniæ* Domini proneptis, ſervo homini nupſiſſet, præſertim cum jure hujus Regni partus non ſequatur ventrem, ſed patrem? An *Gulielmus Bowdus* antiqua nobilitate armiger, ejuſdem *Sibyllæ* pater tali eam in matrimonio collocaſſet? Præterea ſi ſervo patre natus eſſet *Wicamus*, an *Alicia Perotti* vidua *Thomæ Wicami* Equitis aurati mater in ſummo ad communia placita (ut cauſidici noſtri loquuntur) tribunali ſe ejus cognatum, & hæredem tantopere aſſeveraſſet, præſertim quum ſervus genus & cognationem legitimam non habeat? Quid? an ad Epiſcopatum *Wintonienſis* Eccleſiæ, ſi ſervus fuiſſet, aſpirare voluiſſet electione potius, quam poſtulatione? ſane incredibile

bile eſt. Nam ipſo jure electio fuiſſet nulla. At Epiſcopus canonice electus ille, non poſtulatione creatus eſt.

Poſtremo quum inimicitias nobilium, ac magnatum ſubiiſſet, atque in iis potentiſſimum hominem *Lancaſtriæ* Ducem adverſarium haberet acerrimum, neque hic tamen, neque eorum quiſquam ejus ſplendorem ſervitutis macula reſpergere, & ad eum labefactandum hanc adhibere machinam unquam conatus eſt. Quare ſileat poſthac maledictum iſtud immane, & à tanti viri nomine ac genere prorſus avertatur. At pecuniæ amplificationem objiciunt; quaſi amplificatio rei familiarisnemini nocens, reprehenſionem jure incurrat. Verum ei multitudinem dignitatum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum vitio vertunt. At id vitium erat temporis, non hominis.

Tum non tanta erat copia doctorum hominum qui tot ac tanta præmia mererentur. Conſtat enim ea tempeſtate in Academiis non ita multa Collegia viguiſſe, ſed hoſpitia quædam literaria fuiſſe, & (ut vulgo appellantur) Aulas, in quibus etiam inteſtina illa inter ſeptentrionales & auſtrales diſcordia, & ſucceſſio complurium ſcholarium *Stanfordiam* non mediocre humanioribus Muſis vulgus intulere. In tanta igitur eruditorum paucitate, tanquam ingentibus præmiis ei hominum generi conſtitutis certe ſacerdotiis, boniſque fortunæ ad votum fluentibus abundavit, eorumque adjumento liberaliſſimus magnificentiſſimuſque fuit. Nam quid tam liberale, tam magnificum, tam Regium, quam Eccleſias, & Collegia, hoc eſt, Dei ac Muſarum ſedes condere? ut nihil dicam de incredibili illa pecunia quam per annos

Camdenus in deſcriptione *Britanniæ.*

annos quadraginta continuos in pios uſus erogavit.

Neque vero de penu tantum & pecunia eleemoſynas dedit (quod genus eleemoſynam corporalem vocant) ſed de cordis etiam theſauro, quæ quidem eleemoſyna ſpiritualis eſt, eaque longe major ac difficilior, ut ait *Auguſtinus*. Omnibus remiſit à quibus læſus fuerat; ita ut recte de eo dici poſſit, quod *Julio Cæſari* tribuit *Tullius*, nihil illi effluxiſſe è memoria præter injurias. Teſtatur hoc conſtans & perpetua ejus erga *Lancaſtrium* benevolentia, & fides. Nam quamvis ejus & opes, & fortunæ, & fama, & exiſtimatio, *Lancaſtrio* dominante, tum, quum *Edwardus* Rex langueſceret, in extremum fuiſſent adducta diſcrimen, tamen ab eo die, quo *Richardi* Regis opera & autoritate reconciliatio gratiæ inter eos facta eſt (neque enim Rex ſibi diadema prius imponi voluit, quam id eſſet effectum) nullum in *Wicamo* exulcerati animi indicium, nulla malevolentiæ ſcintilla apparuit. Sed ad unum & viginti annos continuos (totidem enim poſtea *Lancaſtrius* vixit) fideli, ac vero amore conjuncti permanſerunt. Atque hinc ſane qui irreconciliabile odium *Lancaſtrii* in *Wicamum* fuiſſe ſcribunt, vel erroris vel mendacii convincuntur. Odii vero cauſam dum adjungunt, quid aliud agunt, quam ut ſuam audaciam patefaciant & impudentiam? Comminiſcuntur enim *Lancaſtriæ* ducem partum fuiſſe ſuppoſititium, idque à *Wicamo* fuiſſe divulgatum. Sic enim unum ex alio commentum nectunt, *Philippam* Reginam *Edwardi* Regis uxorem *Wicamo* Epiſcopo per confeſſionem neſcio quam in aurem inſuſurraſſe, *Johannem Gandavenſem* (quem ducem *Lancaſtriæ*

Ivo Carnotenſis de eleemoſyna lib. 2. *Aug.* lib. 5. homiliarum ad finem homiliæ 6. diſtinct. 45.

Cicero pro Ligario.

Johannes Stowus in Annalibus, & recorda Civitatis *London*.

Reconciliatio facta inter Ducem *Lancaſtriæ* & *Wicamum* per Regem *Richard.* ante ejus Coronationem.

vulgus appellaret) non *Edwardi* Regis, ſed *Teutonici* cujuſdam filium, locoque infantulæ *Edwardi* filiæ à ſe ſuppoſitum extitiſſe. Et ut populo placeret, quam feciſſent fabulam, addunt præterea eam Epiſcopum confeſſorem ſuum obnixe rogaſſe, ut ſi *Johannes* ille *Gandavenſis* filius *Edwardi* Regis putativus vel regnum appeteret, vel deleta Regia ſobole jure hæreditario capeſceret, hoc ille primoribus Regni indicaret.

Quod quidem Epiſcopum contra præſcriptam ſecretæ confeſſionis legem feciſſe aiunt, & hoc, hoc eſt in quo ſerio triumphant, eumque ſacram auricularis confeſſionis ceremoniam polluiſſe arguunt. Verum ne quis hujus criminis confictione in errorem deinceps abducatur, rem penitus introſpiciamus, ac diligenter explicemus, num verisimile, aut credibile ſit quod narrant. Ac primum quidem *Philippæ* Reginæ, quæ hanc fraudem machinata dicitur, vitam & mores conſideremus. Mulierum enim ſumma improbitate, ac projecta audacia fuiſſe oportet, quæ virum ſuum ſic eluderet, ac circumveniret. At in confeſſo eſt, *Philippæ* Reginæ ſanctitatem, quaſi lumen aliquod, omnium opinione eluxiſſe. Hoc omnes annales recentes, hoc monumenta vetuſtatis loquuntur, hoc ex profeſſo confirmat *Froſſardus* omnium hiſtoriographorum fideliſſimus his verbis.

Froſſardus. *Et aßes teſt elle rendit ſon eſperit ſequel ie croy fermement que les ſaintes anges ravirent, & emporterent in la grand joye des cieuſx car ongnes en ſa vie ne fiſt, ne penſa choſe parquoye elle ſe denſp perdre.*

Dominus *Barnettus* Baro interpres *Froſſardus.* Quod inſignis Baro Dominus *Barnettus* ita vertit Anglice. And anon after ſhe yielded up the Spirit, the which I believe ſuzely the Holy Angells received with great

great joy up to Heaven: for in all her life she did neither in thought nor deed, doe the thinge whereby to loose her Soule as far as any creature could know.

An hæc vita, hæc virtus, hi mores conjugalem pietatem fraude inexpiabili violarent? An in talem fæminam tam excellenti ingenio & sanctimonia præditam cadere posset, contra jus naturæ, impie, ac nefarie filiam suam trucidare? Si enim primo hujus calumniæ auctori credimus, ea quem non peperit, aluit, quam peperit, occidit. Verum si ita res gesta esset, an non Rex ipse, quem magno animo, & Regio spiritu fuisse constat, talem in uxore perfidiam acerrime vindicasset? At fortasse non norat. Cur igitur affirmant, rem omnem ad Regni proceres fuisse relatam, ac publice in summo omnium ordinum conventu patefactam? An quod omnes norant, Rex ignorabat? At audierat quidem, sed non credebat. Noluit ergo Episcopum tantæ injuriæ auctorem ulcisci? utrumque profecto incredibile est, vel tam sceleratam in uxore perfidiam, vel tam atrocem in Episcopo injuriam Regem ferre potuisse. Cum igitur Rex & uxorem, & *Wicamum* summa semper benevolentia sit prosecutus, falsum hoc crimen esse, & commentitium necesse est. Præterea si tantæ ignominiæ notam *Wicamus* tanto Principi inurere conatus esset, proculdubio inimicitia inter eos fuisset immortalis: ac *Lancastrius* actionem injuriarum (nec injuria) ad viginti millia librarum in eum instituisset. Quin etiam omnes Regis liberi tam insignem injuriam matri suæ, & fratri illatam, in se redundare judicassent. Verum abfuit hujusmodi iniquitas, & injuria à moribus & natura *Wicami*, abfuit ab ejus prudentia plurimum. Quod autem *Lancastrius* per duos fere annos animo

fuit in eum offenſiori, id accidit partim ex odio, quod propter illam in ſuperioribus comitiis injuriam ſibi illatam ſuſceperat in univerſum clerum, partim etiam (ut ingenue fatear) ex vehementi propugnatione *Wickleſi*, quem ille contra Epiſcopos mordicus defendebat. Itaque recte *Harpisfieldus* in Hiſtoria illud de ſuppoſito Reginæ partu tanquam fictum, & commentum rejicit, ac nullibi niſi in Monacho *Albanenſi* reperiri ſcribit. At hic ſpecta, quæſo, quorundam ex noſtratibus hiſtoricorum fidem, qui, ut commentum hoc triplicem auctorem præ ſe ferret, quaſique tricipiti Cerbero communiretur, Chronicon illud *Albanenſe* nunc *Flori* hiſtoriarum, nunc *Radulphi* Polycronico appenderint. At (inquit *Harpisfieldus*) *Thomas Walſingham* in hiſtoria *Neuſtriæ*, & *Chaundelerus* nihil hujuſmodi aſſerunt, nec alii quidem manuſcripti codices, qui res geſtas ejuſdem pontificis deſcribunt, nec ullus alius in quem hactenus incidi.

Tho. Walſingham, Chaundelerus. Tho. Vaſſeus, & Hereſius id figmentum non habent. Quamvis res geſtas *Wicami* ſcripſerint.

Hæc ille. Quare ſi *Philippa* Regina in omni vitæ curſu ſingulari tum erga Deum pietate, tum erga maritum fide, caſte integreque vixit, & duodecim liberos ex Rege peperit, & in iis *Johannem Gandavenſem* cum primis & chariſſimum filium, materno amore ſemper complexa eſt, ſi idem *Gandavenſis* propenſa in *Wicamum* voluntate per annos fere quadraginta fuerit, (biennium illud excipio quo in Clerum univerſum iracundia, & ſtomacho graviter exarſit) ſi nec ex actis curiæ Parliamenti, nec aliis monumentis Regiis, nec annalium faſtorumque commentariis ejus ætatis, aut ſeculi vicini (uno Monacho anonymo duntaxat excepto) oſtendi poſſit tam abſurdam ac nefariam confeſſionem vel à Regina editam, vel à *Wicamo* in vulgus

Quo nomine Monachus ille *Albanenſis* cenſetur non occurrit.

vulgus patefactam esse, certe nulla ratione videtur posse defendi, quin impudens sit, qui hoc commentum asserat, & impotens qui credat.

Ejusdem formæ calumniam instituunt, cum à Rege *Edwardo Wicamum* non virtute sua sed ope meretricia bona Episcopatus (ut vocantur) temporalia recuperasse fingunt. Sic enim in vulgus spargunt, & disseminant.

Regi jam ægroto, ipsaque senectute confecto, semper aderat, atque ministrabat quædam fœmina Alicia Peers, *quæ Regi languido & infirmo obsecuta, majorem quam ipse dux cum Rege iniit gratiam: hanc præsenti mercede, & uberiori promissa spe* Wicamus *adduxit, ut a Rege restitui sibi ablata Episcopatus jura, tam quæ ante percepta, & in fisco reservata essent, quam omnia prædia procuraret; quod illa, invito Duce, continuo impetravit.*

Alia calumnia circa restitutionem *Wicami* ad bona Episc. temporalia. Monachus *Albanus* primus finxit, nuper *Baleus* & *Fox* idem repetunt, nec non *Acworthus* in vita *Sudburei*, & eorum errorem secutus *Johan. Stowus* in annal. fol. 432.

Hæc *Acworthus*. Sed ego nisi mentiri velim, iis assentiri non possum. Nam præterquam quod tam gravis contumeliæ infamia tantum principem jam tot annos mortuum aspergi pudet doletque, quod porro de pontificis pactione cum *Peresia* narrant, ab omni veritatis colore ac specie plane abhorret. Quid enim *Wicamo* commercii cum *Peresia*, quæ omnibus Episcopis, & pudicitiæ patronis acerrimum bellum indixerat? Quid spei in ejus fide reponi potuit, quæ nullum habebat pudorem, aut fidem, iisque præterea se adjunxerat, qui ab *Wicamo* ejusque familiaribus erant alieniſſimi? An quemquam latet, aut fugit illa *Peresiæ* cum *Lancastrio*, *Latimero*, *Perceo*, & *Stireo*, arctissimi fœderis conjunctio? Quid, annon hi omnes, una ab Aula expulsi una redierunt in gratiam Regis,

Ipse *Stowus* eodem folio. pag. 1. in fine.

ac communicatis poſtea conſiliis tam in *Wicamum*, quam in *Martiæ* ac *Warwici* Comitem, cæteroſque ſummos *Wicami* fautores ſævierunt, operaſque mutuas tradiderunt? Ab hac igitur inimicorum ſuorum amica auxilium petiit *Wicamus*? profecto non eſt credibile. Verum hic omnem prorſus dubitationem tollit Chartæ Regiæ formula, quæ cauſas illius reſtitutionis complectitur, & tam Duci *Lancaſtriæ* conſenſum, quam omnium optimatum, & conſiliariorum Regis aſſenſum, in ea concedenda adhibitum eſſe, diſertis verbis oſtendit. Atque etiam ſequitur in calce hæc ſubſcriptio. *Per ipſum Regem & conſilium.* O inſignes calumniatores, & chartarum publicarum malicioſos interpretes, qui, quod inſtrumenta Regalia per ſanctum Senatum fieri aſſerunt, id per impurum ſcortum factitatum prædicant. Num Scortum, & conſilium iſtis idem ſonant? Quid? quod ipſe *Richardus* Rex, quo omnis poſteritas à chariſſimo Avo ſuo rem ita geſtam eſſe intelligeret, ſtatim ab obitu Avi eandem *Wicami* reſtitutionem diplomate ſpeciali confirmavit & amplificavit, quum jam *Alicia Peers* ſe in fugam cum ſua peſte, ac pernicie convertiſſet, quumque (ut verbis utar ipſius diplomatis Regii) *Johannes* Rex Caſtellæ & Legionis, Dux *Lancaſtriæ*, nec non Prælati, Comites, & Barones magnates, ac alii ſapientes de conſilio Regis illi aſſiſterent, & aſſentirentur. Sed pergunt porro & *Wicamum præſenti mercede, & uberiori promiſſa ſpe pellicem eam pellexiſſe aiunt*, ut, invito *Lancaſtrio*, omnia Epiſcopatus jura à Rege reſtitui procuraret, quum contra Rex in præſentia Ducis *Lancaſtrii*, omniumque de ſacratiore conſilio aliam cauſam impulſivam reſtitutionis

Idem annales referunt & hiſtoria *Walſingami.*

Vide ipſas literas Regis apud *Turrim London* clauſula de an. 51. *Ed.* 3.

Prim. Parl. Paten. an. 1. *Rich.* 2. data 31. die *Julii* an. Regni ſui primo.

Vide ipſa verba diplomatis in quo aſſenſus Ducis *Lancaſ.* & aliorum de conſilio Regis quater ad minimum repetita.

Verba ipſius *Acworthi.*

tionis eorundem clariſſimis verbis reddiderit, nempe ſe *Liberalitate Epiſcopi ex promiſſione in difficultatibus ſuis atque Regni adductum fuiſſe*, ut ea bona reſtitueret. Deum immortalem! quænam eſt iſta veneranda vetuſtatis adulteratio, & Regalium monumentorum conſtupratio? Supereſt alia adhuc quæſtio in *Wicamum* ventilata, an ille aliquando exul, & extorris à ſolo patrio fuerit? Sunt enim, qui eum integro ſeptennio, alii triennio exulaſſe opinantur, nec minore infamia & cruciatu affectum, quam quum cives Romani à ſuis diis penatibus exterminarentur, vel quum aqua & igni iis interdiceretur. Mihi vero rem altius expendenti, & ipſius vetuſtatis & commentariorum Regiorum penetralia, data ad hoc opera, perſecutanti, verius videtur nunquam eum ex numero Civium exciſum fuiſſe, vel à patrio ſolo exterminatum. Qui contra aſſerunt, velim mihi reſpondeant, quis tandem judex eum exilio mulctaverit, & an relegationis pœna, quæ eſt ad tempus, an deportationis ſupplicio, quod eſt in perpetuum affecerit? ſane Judicem nullum nominare poſſunt. De tempore, & loco vel ſententiæ hujuſmodi latæ, vel exilii tolerati nihil certi habent, in vado hærent. De ſeptennali vero proſcriptione certe plus quam ridiculum eſt ſomniare, quum nec illa *Lancaſtrii* ſimultas ultra biennium nec Regis offenſio ultra ſemeſtre ſpatium duravit. Veritatem ſi ſpectemus, ſic ſe res habet. Certus eſt Judex à *Lancaſtrio* ad omnia Epiſcopatus bona fiſco adjudicanda Regio nomine deſignatus, nempe *Gulielmus Skipwithus*, ut teſtantur Annales; certum eſt tempus quo is judicium illud infame pronutiavit, terminus *Michaelis*, anno Regni *Edwardi* tertii 50.

Patet in memorando in rotulis Cancellariæ irrotulatæ. 18. *Junii* anno Regni Reg. *Ed.* 51.

certa

certa eſt & definita condemnationis formula, cujus præſcriptum, non exilium, ſed amiſſionem ſolummodo bonorum Epiſcopatus temporalium continet. Sed & ipſi judicis condemnationi reſtitutio à Rege conceſſa optime in iis quæ diximus quadrat. De exilio ne verbum quidem nec in ipſa ſententia Judicis, nec in diplomatis, & Chartis Regiis. Quid? quod *Thomas Talus* in antiquitatibus *Cantuarienſis* Eccleſiæ, & Recordis *Lambethæ* plurimum verſatus, ſolebat non minus vere quam acute dicere, nunquam à quopiam mortalium oſtenſum iri *Wicamum* ab ulla Synodo ea tempeſtate abfuiſſe? Recte quidem. Quum enim illi periculum in Hilarianis comitiis immineret, naufragii univerſi anno illo fatali Regni *Edwardi* tertii 50. eumque *Sudbureus* Archiepiſcopus *Cantuarienſis* ad ſynodum vocare reformidaret, ita vehementer eum deſiderabat Clerus univerſus, ut ejus præſentiam ab Archiepiſcopo tantum non extorſerit. Itaque & vocatus interfuit, & ſuffragium tulit. Non igitur tum exul (ut iſti inſimulant) erat, ac ſumma Capitis diminutione affectus. At quam tandem cauſam prætexebat tum temporis *Sudbureus*, quare eum ad Synodum non evocaret? An quia, ut exul, in exteris partibus deliteſceret? minime: ſed quia fuiſſet interdictum ei, ne ad Aulam accederet, aut intra viginti ab ea milliaria. Quid? hanccine exilii pœnam? hoccine proſcriptionis ſupplicium vocant? An vero, idque fortaſſe probabilius, quia *Hereſius* ſcripſit *Wicamum* ſub initium imperii *Richardi* ab *Exilio miſeriæ* & anguſtiæ reverſum fuiſſe, ideo exulem fuiſſe creditum? At id non re ipſa, ſed per metaphoram erat exulaſſe. Sed miſſas faciamus haſce inſanas fabulas

In Parliamento an. *R.* 3. *Ed.* 50. Hilarii *Wicamus* ex generali criminum abolitione (quam perdonam vocant) exceptus eſt.

Chronicon *Albanum.*

Hereſius in dicta epitome.

bulas, & ineptias, & mutato curſu tranſeamus ad raram illam, & incredibilem virtutem, quam omnes (quamvis ore eſſent duriſſimo) *Wicamo* etiam tum, quum ſpoliatus opibus, & ſenatoria potentia eſſet, tribuebant, & nunc etiam adverſarii ejus tribuunt, prudentiam nimirum civilem, & vivendi artem. Cujus quidem virtutis laudem in *Wicamo* præ cæteris excelluiſſe, vel ex eo (ut cætera argumenta taceam) apparet, quod in tam turbulento rerum ſtatu, in tot nimirum Regni, Regiſque difficultatibus, ac inteſtinis motibus, & perditorum hominum furores fregit, & invidorum ſceleratas machinationes ſuperavit, & (quod majus eſt) omnium ordinum ſuffragatione in ampliſſimis Regni Comitiis anno Regni *Richardi* Regis 10. ad ſupremam illam poteſtatem tredecimviralem una cum aliis clariſſimis & prudentiſſimis totius imperii proceribus electus, triennio poſt ab ipſo Rege ob ſingularem rationem atque prudentiam Reipublicæ gerendæ Cancellarius Regni deſignatus eſt, ac paſſim ut in domeſtica re laudem, ita in publica honorem reportavit. Circumferuntur de eo multa ſapienter, & egregie dicta, nempe, *Mores efficiunt virum*, Anglice, *Manners makes man:* Itemque illud, *Nuſquam eſt dignitas, niſi ubi eſt honeſtas*: Similiter, *Satius eſt ut unus pereat, quam ut unitas.* Quumque illi in Aula aliquando objiceretur, quamvis *Wickleſum* ex Academia *Oxonienſi* profligaſſet, tamen ſuccreviſſe poſtea etiam in ejus novo Collegio quaſi filios poſthumos, qui novas opiniones *Wickleſi* imbibiſſent, ſic reſpondiſſe fertur: Abſit ut ego tantum perpuſillo ædificio meo arrogem, ut fælicius ſit quam Arca *Noæ*, ubi tamen inter homines octo unus reprobus inventus

Stowus in annalibus.

Hordus & *Vaſſeus.*

In oratione *Oxoniæ* habita ad *Wikleviſtas.*

Gen. 9.

R eſt;

aut melius ſit, quam domus *Abrahami*, cui dictum
Geneſ. 21. eſt, *Ejice ancillam, & filium ejus.* Et quis tandem ſum ego (inquit) ut in centum meis unus aut alter non impingat, quum in Apoſtolica illa Diaconorum electione unus in hæreſim prolapſus fuerit, & in
Tho. Vaſſeus. electione Domini unus ex duodecim Apoſt. degeneraverit in Judam proditorem? Quum quidam ex ejus alumnis *Oxonii* coram eo populari & aſſentatoria concione auditores oblectaſſet, acriter eum fertur reprehendiſſe, & affirmaſſe, diſpenſatorem myſteriorum Dei non palponem, non adulatorem eſſe debere: horrendam enim blaſphemiam eſſe coram Deo, quando
Pſalm. 19. (ut Pſalmiſta ait) *Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* Quid ego dicam de moribus ejus facillimis, de pietate in parentes, liberalitate in conſanguineos, gratitudine in amicos, juſtitia in omnes? Et quidem matrem ad annum uſque ſexageſimum, patrem vero ad annum octogeſimum octavum (tot enim annos uterque vixit) plurimum amavit, coluit, honoravit.

Nec vero vel dignitatis ſuæ amplitudine, vel humili conditione patris ſui unquam adduci potuit, ut mirificam in eum pietatem aliquando intermitteret.
Tho. Vaſſeus in vita *Wicami.* Eum enim matri ſuæ ſuperſtitem, ætate confectum, & luminibus captum quotidie ſolebat inviſere, ſuppliciterque precari, ut ab eo paternæ charitatis benedictione luſtraretur. Ac certe ut parentes vivos ſic etiam mortuos ſingulari honoris genere proſecutus
Ex veteri Regiſtro Epiſcopi *Winton.* nunc penes Colum. Regiſt. ibidem. eſt, & in cœnobio *Thichfeildienſi*, non procul ab oppido quod *Wicham* appellatur, in Sacello ad id accomodato honeſte ſepeliri curavit. Erat autem animo in omnes de ipſo bene meritos gratiſſimo, ut re ac

factis

factis luculenter oſtendit. Cum enim *Southwici* Cœnobiarcha illi, dum in ſtudia magnarum artium incumberet adoleſcens *Oxonii*, penſionem annuam quinque librarum dediſſet, grata memoria id beneficii longo intervallo recolens, Cantoriam ibi quinque Presbyterorum inſtituit. Cumque in memoriam revocaret quot quantaque beneficia ab *Edwardo* Rege accepiſſet *Vindeſoriæ*, ut in locum ipſum, quem Rex maximis honoribus affeciſſet, gratus judicaretur, penes Butilerum illius honorandi Collegii Decanum ejuſque Collegas trecentas triginta duas libras ad ſuſtentanda onera Collegii, ac in perpetuum charitatis pignus in Eccleſiam *Windeſorienſem* impendit. Sic Eccleſiæ *Lincolnienſi*, quæ multis honoribus & dignitatibus eum ornarat, vaſa nonnulla aurea & argentea, celata, inſigni artificio fabricata donavit. Quid in conſanguineos, quid in amicos erogaverit, quid attinet dicere, quum illis poſſeſſiones, & Latifundia ampliſſima, his ſumma apud principem munera, & officia acquiſierit? In *Nicholaum* autem *Uvedallum*, cui omnia ſe debere putabat, adeo gratus & benignus fuit, ut non modo ipſum quoad vixit admirabili benevolentia complexus ſit, munificeque adhibuerit, verum etiam ad ejus poſteros, & omne *Uvedallorum* nomen tam *Hameldonii* quam *Waltamiæ* in Provincia *Southamtonienſi* aliquid liberalitatis ſuæ transfuderit. Ejus vero immenſum juſtitiæ colendæ ſtudium, tacitus præterire nullo modo poſſum. Cum enim in nonnullorum invidiam incurreret, quod illorum petacibus literis, & clientelis in judicando non obſecundaret, *Si hominibus placerem* (inquit) *Chriſti ſervus non eſſem*. Et quamvis natura magis ad lenitatem, quam

Ex veteris monumentis in Col. *Windeſor.* vide chartam viſitat. *Johan.* Archiep. *Ebor.* Cancella. *Ang.* celebrat. ibidem 22. die menſis *Maii.* Anno. 1431. Ex Regiſt. *Lincolnien.* Epiſc. Eccleſiæ.

Ex adverſariis *Harriſi Wind.* Prebendar. idem ex Commentariis *Lelandi.* Ad *Gallat.* 1.

ad ſeveritatem eſſet propenſus, & pulcherrimam vitæ ſupellectilem amicos eſſe duceret, tamen cum perſonam judicis induiſſet, gratiæ & amicitiæ expers habebatur, & in ſceleribus vindicandis inexorabilis. Sed video me ſtudio Fundatoris in altum efferri. Itaque ut vela contraham, ad illa duo Collegia ab eo *Vintoniæ* & *Oxonii* fundata convertam oculos & in in illis acquieſcam. Quamvis enim ille ex aliis rebus geſtis ſatis amplam ſegitem gloriæ paratam habuerit, tamen ego ſic ſtatuo, hæc ei fuiſſe præcipua laudis inſignia, ornamenta honoris, & monumenta gloriæ, quibus non ſolum acquiſivit, verum etiam concervavit memoriam nominis ſui ſempiternam. Hinc enim quædam literaria quaſi Reſpublica conſtituta eſt, quæ non *Oxonii* ſolum in Collegio illo, & Academia *Oxonienſi*, ſed etiam per omnes Regni oras fulgentes radios ſuos dilataret, eſſetque porro ſeminarium ſacerdotum in oppidis atque pagis Epiſcoporum, in Civitatibus Judicum ac acceſſorum, in tribunalibus Secretariorum & Cancellariorum, in conſiliis principum, &, non uni tantum ætati ſed ſempiternis ſeculorum ætatibus profuturum: quod quidem hiſce annis ducentis rerum uſus comprobavit. Ac faxit Deus Optimus Maximus (ardentibus votis precor) ut ad Eccleſiæ fructum, & Reipublicæ *Anglicanæ* utilitatem, eadem dignitas & gloria, quæ eſt veræ virtuis fructus, in omne ævum duret ac propagetur.

F I N I S.